JOHAN. EISENHART
PHILOS. AC J.U.D. HUJUSQUE IN
ACAD. JUL. P.P.

De
USU PRINCIPIORUM MORALIS PHILOSOPHIÆ IN JURE CIVILI CONDENDO ET INTERPRETANDO
Commentarius.

Cui acceſſit ejusdem

De
JURISCONSULTORUM PROPRIA FACTI SCIENTIA ORATIO.

HELMESTADI,
Typis & ſumtibus HENRICI DAVIDIS MULLERI
Anno CIϽ IϽ C LXXVI.

SERENISSIMIS AC POTENTISSIMIS PRINCIPIBUS AC DOMINIS

DN. GEORGIO WILHELMO
DN. IOHANNI FRIDERICO
DN. RUDOLPHO AUGUSTO
DN. ANTONIO ULRICO

BRUNSVICENSIUM AC LUNEBURGENSIUM DUCIBUS

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS

FELICITATEM ET SUCCESSUS ULTRA VOTA PROSPEROS

DEVOTISSIME PRECATUR SEQUE ETIAM ATQUE ETIAM HUMILLIME COMMENDAT

AUCTOR.

Sereniſſimi Principes.

IUris civilis doctrina, cujus in Acad. Veſtrâ Juliâ docendæ publicum munus ſuperiori anno clementiſſime mihi demandâſtis, ſuos quoſdam in Philoſophicis ſcientiis abditos receſſus habet, quos gnaviter excuſſiſſe decet eos qui ad ſolidam illius cognitionem alios perducere conantur. Ipſas quidem leges, ſive generalibus comprehenſas conſtitutionibus ſive in caſuum ſingularium deciſionibus abſconditas perque regulas & axiomata inde eruendas, exhibent Juris civilis ſeu Pandectæ ſeu Codices: At per vaſtiſſimam illam conſtitutionum pa-
Nov. 1. pr. riter ac deciſionum (ut Leo Imp. loquitur) *ſylvam* alios ita manuducere, ut inoffenſo pede progredi queant, neq; rerum multitudine ac difficultate deterreantur, hoc ſane munus eſt illius qui non tantum leges pene ad unguem, ut ajunt, recitare, aut etiam ſingulas quoque exemplis rerum judicatarum & interpretum opinionibus illuſtrare novit; quod quidem

dem videtur opus eſſe modici ſaltem judicii, prolixæ tamen & memoriæ & lectionis; ſed is demum iſti muneri dextre obeundo par eſt, qui (liceat mihi Tulliano hoc ſignare eloquio) *omne jus civile in genera* ſua *digerere; deinde eorum generum quaſi quadam membra diſpertire, tùm propriam cujusque* naturam ac *vim* ex cauſis & *definitione declarare* callet. Hac enim ratione facile innoteſcunt ea quæ *poſita* ſunt *in unâ cognitione*, & ſaltem *ignoratione docendi in infinitas* erant particulas diſſociata atque *disjecta*. Atque hæc per univerſalia & cauſas plene ſufficienterque dioducta ac tradita juris civilis doctrina memoriæ diſcentium longe felicius inhæret, mentique longe fœcundius & quaſcunque poſtea oblatas cauſas facile penetraturum judicandi lumen infundit; quàm prior illa, quæ inſuper habitis methodo accuratâ & cauſis ſcientificis, leges legibus, opiniones opinionibus, reſponſa reſponſis, judicata judicatis conſarcinat, juris civilis tradendi ratio: Naturale enim eſt ut pauciora plurimis, diſtincta & ordinata confuſis atque disjectis facilius percipiantur ac firmius hæreant. Iſta verò juris civilis in ſua genera dividendi & ad certum numerum paucitatemq; ac cau-

[Margin notes: 1. de Orat. — Cic. 1. de leg. — Ariſtot. 1. Poſt. xxiv. c. 9.]

ſas revocandi & ex iisdem declarandi ratio penitus ex intimâ Philoſophiâ repetenda eſt. Et hûc quidem Diſciplinæ humaniores & philoſophicæ ſcientiæ certatim ſuam conferunt operam. LOGICA docet modum res legum diſpoſitioni ſubjectas recte definiendi, notatisque differentiis, proprietatibus & accidentibus in ſuas ſpecies diſtribuendi. METAPHYSICA & TOPICA doctrina oſtendunt cauſas ab effectibus, principia à principiatis, priora à poſterioribus, antecedentia à conſequentibus, totum à partibus, idem à diverſo ſecernere ac ſegregare. Ex RHETORVM præceptis depromitur ars ſingula quæ legibus continentur ad certa quæſtionum genera revocandi, ſtatum videlicet ſeu *conjecturalem*, ſeu *definitivum*, ſeu *juredicialem*, & qui ad hos referuntur. HISTORIA tradit ortus ac mutationes Reipubl. & Magiſtratuum à quibus & in quâ quoquo tempore jura vel cuſtodita, vel neglecta, vel in uſum reducta. CRITICA varias lectiones recenſet, diſpunctiones ordinat & *authenticum* primisque legum conditoribus uſitatum ſtilum ac dicendi *characterem* oſtendit. Ceteras, quæ tantum ad partem aliquam legum civilium illuſtrandam dogmata ſua tranſmittunt, hîc

Dn. Strauchius Diſſ. Exoter. 5. §. 10. p. 252.

hîc non attingo. In toto autem dictarum Diſciplinarum Orbe nulla magis cognata, magisque domeſtica videtur Jurisprudentiæ quàm MORALIS ac CIVILIS DOCTRINA: Etenim cum genuinus omni legi ſcopus propoſitus eſſe debeat vera ac naturalis honeſtas & utilitas Reipubl.; in altero horum demonſtrando *Ethica*, in altero *Politica* proprium munus ſuum poſitum eſſe agnoſcit. In præſenti opuſculo moralium principiorum in juris civilis ſcientiâ uſum indicare conor, atque oſtendere, quænam ex primariis Jurisprudentiæ partibus & argumentis in morali ſcientiâ ſua velut *receptacula* & *ſcaturigines* inveniant, & quemadmodum ac ubi cumprimis hæc ſcientia in vaſtum illum Jurisprudentiæ Oceanum fontes ſuos effundat. Atque hinc non miror, ſi his qui in hoc iſtarum ſcientiarum confinio nunquam aut ſaltem obiter ſunt verſati, nonnulla eorum quæ hîc tradidi paulò obſcuriora ac pene ignota videantur. Hoc videlicet illis quoque contingit, qui in medio ſaltem flumine aut mari navigare conſueverunt, ut circumjacentia litora ac ripas, oſtia denique & influxus non obſervent. Viſum autem eſt ad Veſtros pedes, SERENISSIMI

MI AC POTENTISSIMI PRINCIPES deponere tenerum hunc ingenii mei fœtum, tanquam obſidem perpetuæ in VOS meæ devotionis, & vel balbutie ſuâ coram repetiturum ſubmiſſam illam gratiarum actionem, quam, cum Veſtro clementiſſimo nutu demandatum mihi in hac Veſtrâ Acad. publicum docendi munus capeſſerem, SERENITATIBUS VESTRIS, toto Senatu & civitate Acad. præſentibus & audientibus ſuperiori anno humilime perſolvi. Deum immortalem ſupplex veneror, ut VESTRIS SERENITATIBUS ſublimem tantisque faſtigiis dignam & congruam felicitatem ac perpetuas victorias; indeque Veſtris Sereniſſimis ac potentiſſimis Domibus perennem Gloriam, Imperio noſtro optatam pacem, & quantiſcunque hoſtium viribus ac inſultibus ſuperiorem ſemperque invictam potentiam; Acad. Juliæ ſecuritatem & jucunda halcyonia; mihi denique, ſi hoc licet addere, perpetua gratiæ Veſtræ incrementa atque eminens patrocinium benignè largiatur.

Dabam in illuſtri Julia, d. 8. Januar.
CIↃ IↃ C LXXVI.

DE

DE

VSV PRINCIPIORVM MORALIS PHILOSOPHIÆ IN JVRE CIVILI CONDENDO ET INTERPRETANDO.

CAPVT I.

Conciſa deductio & naturalis ordo partium moralis doctrinæ proponitur.

§. I.

Ethica ſ. moralis doctrina complectitur interpretationem definitionis Summi boni.

MOralis Philoſophia, quam vulgari nomine Ethicam appellamus, univerſim & quaſi averſione, ut JCti loquuntur, conſiderata nihil aliud videtur eſſe quàm analyſis ſive plenior interpretatio definitionis ſummi Boni. Definitiones eſſentiales rerum definitarum eſſentias plene ſufficienterque cognitas non reddunt, ſed *duplici velut charactere* rem inter infinitas alias propoſitam ſaltem indicant. *conf. Cl. Weigel. Univerſi Corp. Panſoph. prodrom. ſect. I. c. X. §. 7.* Duplex ille character eſt *genus proximum* & *differentia ſpecifica*, quæ duo cujuslibet rei perfectâ definitione declarantur. Utrumque illud reaſſumit & velut *ſub anatomen* vocat quisquis integram alicujus rei doctrinam tractare ſibi propoſuit; quod quemadmodum in Ethicis partim factum, partim fieri debuerit paucis oſtendam, ut ad id quod declarare conſtitui velut à ſummo capite accedere intelligar.

II. Quænam de animâ humana in Ethicis declaranda? Actus directivi, actus directi.

II. Poſtquam declaratum eſt SUMMUM HOMINIS BONUM ESSE ἐνέργειαν ψυχῆς, OPERATIONEM ANIMÆ, ante omnia de conſtitutione & facultatibus animæ humanæ tractandum, id quod fit *1. Nicom. c. ult.* Dein operationum ſive actuum tùm in illâ animâ exiſtentium, qui ſunt *actus directivi*, tùm ex eâ promanantium, qui ſunt *actus directi*, ortus, modus oriendi, ſpecies & conſequentia declaranda: Hoc, quod appetitum attinet, *libr. 3. Nicom. parte priore* exequitur Ariſtoteles. Ambigo an non hoc loco & de intellectus humani operationibus in univerſum agi debuerit; ſed conſultatio, propria illa intellectus practici operatio, tantùm hîc declaratur.

III. Voluptas ac dolor per externa ſigna produnt internam animi conſtitutionem; diſcernunt actus ſpontaneos ab invitis; Voluptas quandoq; conſtituit tranquillitatem animi, dolor quandoq; conſtituit morſum conſcientiæ; interdum ſunt principia, interdum termini actionum.

III. Inter conſequentia operationum animæ numerari quoque debent *Voluptas* ac *Dolor*, utpote quæ illis adſunt ὡς ἐπιγινόμενόν τι τέλος, *tanquam finis quidam ſuperveniens*, Ariſtot. *X. Nicom. IV;* quæque ſignis in aliorum notitiam pervenientibus produnt actuum animi intus latentium imperfectionem, perfectionem ac ſemiperfectionem; v. Ariſt. *II. Nicom. c. III. pr.*; ſunt & principia diagnoſtica actuum qui aut ſponte aut ab invitis, vel ſuſcipi exſpectantur, vel ſuſcepti cognoſcuntur; quæ enim actionem antecedit, comitatur & conſequitur voluptas indicat actum ſpontaneum, utique ſi nullus error agentis mentem obſideat; qui verò & ante actionem, & in ea, & poſt eam prodit dolor, invitæ aut ſaltem mixtæ actionis argumentum eſt, v. Ariſtot. *III. Nicom. c. I.* Et quæ actiones honeſtas excipit voluptas ipſa videtur eſſe *tranquillitas animi*, quaſi perpetuus quidam earundem

dem fructus; qui verò incontinentium actiones inſequitur dolor eſt ipſe *morſus conſcientiæ*; de quâ animi conſtitutione graviter Philoſophus, λυπεῖται ὅτι ἥσθη, καὶ οὐκ ἂν ἐβούλετο ἡδέα ταῦτα γενέσθαι αὐτῷ, *dolore angitur quia lætatus eſt, velletque ea ſibi jucunda non accidiſſe.* IX, Nicom. IV. Sunt autem voluptas ac dolor internorum quidem animi actuum velut inſeparabile quoddam accidens, ſive ut Ariſtoteles ait, tanquam ſuperveniens finis; verùm ad actus externos ſeſe habent tanquam cauſæ incitantes aut remorantes; κανονίζομεν τὰς πράξεις, οἱ μὲν μᾶλλον, οἱ δὲ ἧττον, ἡδονῇ καὶ λύπῃ, *dirigimus actiones, alii magis alii minus, voluptate ac dolore*, II. Nicom. III. jucunda proſequendo, moleſta fugiendo. Nihilo tamen minus actionibus externis eadem quoque ſuperveniunt, haud rarò verſa vice, dum ex jucundo triſtis, & jucundus ex triſti conſequitur animi ſtatus, voluptate in dolorem dolore contra in voluptatem vertente.

IV. Conſcientia quid, & quotuplex? conſcientia & voluntas ſunt interna principia actionum. Quænam ſint merita actionum moralium.

IV. Haud multum abſimile eſt conſcientiæ ingenium, cujus formalis ratio videtur eſſe, applicatio circumſtantiarum actionis ad regulam ejus, circumſtantias illas ac cumprimis merita actionis determinantem; ſive naturali, ſive civili jure, utpote cujus tranſgreſſione implicite pariterque violatur jus naturale, Vaſq. côtr. ill. p. 1. c. 29. n. 1. 18. ea regula contineatur. Ex tali applicatione conſiſtit *dictamen*, ut vocatur, *conſcientiæ*, quod reſpicit vel actum nondum ſuſceptum, vocaturque *conſcientia antecedens*, & eſt principium actionis remotum, voluntas autem vel appetitus eſt principium proximum, utrumque verò internum; aut reſpicit actum ſuſceptum peractumque, & vocatur *conſcientia ſuperveniens* ſeu *conſequens*: utraque conſiſtit in *judicio* quodam intellectus practici de propoſiti actûs rectitudine aut pravitate, & hinc dependente jure atque obligatione, ac vel bonæ exiſtimationis, vel laudis, vel gratiæ, vel præmii, aut verò malæ exiſtimationis, re-

 prehenſio-

prehenſionis, offenſæ, vel denique pœnæ ac ſupplicii merito; quandoque fluctuat mens, actumque nec rectum nec pravum pronunciare audet, attamen quodammodo metuit neutrum ac indifferentem pronunciare: Ex tali vel judicio vel hæſitatione mentis proxime fluit aut voluptas, aut dolor, aut ſolicitudo vel trepidatio dolori magis quàm voluptati vicina; iſta *bonam* vel tranquillam, ille *malam*, hæc *dubiam* vel *ſcrupuloſam* arguit conſcientiam: Quandoque etiam illud animi judicium *verum* eſt, hinc conſcientia *recta*; quandoque *falſum*, hinc conſcientia *erronea*. conf. Heereboord *Colleg. Eth. Diſp. V. n. 2. 3. 4. 5.*

V. Quibus partibus conſtet doctrina moralis de virtute humana? Virtutis humanæ diviſio & ſubdiviſiones: Num in intellectu quoque detur conſtitutio ferina, & habitus ſive gradus heroici?

V. Illa animæ operatio, in quâ S. B. conſiſtit, Ex Habitu Virtutis debet promanare; igitur *natura virtutis* explicanda eſt, primò in univerſum declarando illius cauſas conſtituentes, conſervantes & deſtruentes; dein ſpecies ejus & ſingularum oppoſita fiant manifeſta. Niſi fortè primùm ſumma virtutis humanæ diviſio tradenda, utpote cujus membra dividentia, *virtus intellectualis & moralis*, ſuas ſingulæ rationes habent diverſas. Sed tamen utraque videtur aut *naturalis eſſe*, aut *acquiſita*. *καθάπερ ἐπὶ τοῦ δοξαστικοῦ δύο ἐστὶν εἴδη, δεινότης καὶ φρόνησις· οὕτως ἐπὶ τοῦ ἠθικοῦ δύο ἐστί· τὸ μὲν ἀρετὴ φυσικὴ, τὸ δ' ἡ κυρία. VI. Nicom. c. ſ. Ut in facultate conſultativâ duæ ſunt ſpecies (virtutum) ſolertia & prudentia: Sic & duæ ſunt in facultate morali (i. e. appetitivâ cum ratione,) naturalis & proprie dicta moralis.* Utraque porrò aut *inchoata* aut *perfecta* aut *heroica*. Ac *diſpoſitio* ad virtutem tendit vel ad *perfectam* eam, vel ad *heroicam*: In numero tamen virtutum quas perfectas nominamus magnificentia & magnanimitas altiori atque ad heroïcam propius accedente gradu conſiſtunt vid. Ariſtot. *IV. Nicom. 2.* Ut verò illis ſpeciebus, ſic his gradibus virtutum

reſpondent vitia oppoſita; nempe quædam ſunt *humana*, quædam *ferina*; ac diſpoſitio ad vitia ad alterutram illarum conſtitutionum tendit. Admodum notabile eſt quod & circa intellectum practicum ferinam conſtitutionem agnoſcit Ariſtot. *VII. Nicom. c. V.* καὶ τῶν ἀφρόνων, οἱ μὲν ἐκ φύσεως ἀλόγιστοι, καὶ μόνον τῇ αἰσθήσει ζῶντες, θηριώδεις, ὥσπερ ἔνια γένη τῶν πόῤῥω βαρβάρων, οἱ δὲ διὰ νόσους, οἷον τὰς ἐπιληπτικὰς, ἢ μανίας, νοσηματώδεις. *Et inſipientium alii qui naturâ mentis uſu deſtituti, ſolo ſenſu viventes, ferini ſunt, cujusmodi nonnullæ in terris remotiſſimis Barbarorum gentes: alii qui per morbos, ut maniacos raptus ſ. furores, morboſi.* Sc. illi ferinam, hi morboſam habent inſipientiam, quæ non eſt habitus in intellectu, ſed abſentia functionum mentis; cum omnis habitus aut benè aut malè ſit operativus. Ex poſitis autem concludi videtur, etiam in naturali & acquiſitâ intellectûs practici virtute, ſolertiâ & prudentiâ, gradum quaſi heroicum oportere ſpectari; perinde ut & verſutia ſive πανουργία quædam communem mortalium aſtutiam ſupergreditur.

VI. Lex methodica Syngeniæ.

VI. Dicto modo diſtinctis animi humani conſtitutionibus perinde videtur ſive intellectualium ſive moralium tùm diſpoſitionum, tùm habituum doctrinam prius pertractes; dummodò homogenea heterogeneis non intermiſceantur, id quod contra naturam methodi.

VII. Habitus morales nunc abſolute nunc relate conſiderantur. Neceſſitas colendæ ſocietatis. Definitio ſocietatis, amicitiæ, juris, obligationis. Externa vis ad officium compulſiva animum arguit improbum. Idem ſubjectum & objectum ſocietatis, amicitiæ, juris & obligationis.

VII. Moralis virtus eique oppoſiti habitus priori loco declarantur ab Ariſtotele, *primùm abſolutè*, quatenus ſunt tales habitus, qui aut conſiſtunt in mediocritate ad agentem relatâ, aut ab eâ declinant; *dein quatenus & ad alterum* definiti mutuæque

que ſalutis gratiâ jam in ſocietate ſunt *operativi*; & hâc ratione in ſpeciale nomen juſtitiæ ac injuſtitiæ tranſeunt. Eſt enim homo naturâ ſic comparatus, ut nec vitam, nedum beatam vitam agere poſſit extra *Societatem*, quæ eſt conjunctio perſonarum ad communionem officiorum boni alicujus ad vitam aut beatam vitam pertinentis gratiâ. Mutua illa ſociorum boni ſalutisque invicem procurandæ affectio vocatur *Amicitia*; quæ cum virtute conjuncta eique cognata eſſe dicitur ideo, quia mutuis conſtat fortitudinis, temperantiæ, liberalitatis, manſuetudinis, urbanitatis, &c. ac juſtitiæ officiis. Quod autem in habitu virtutis abſolutè ſpectatæ vocatur ὀρθὸς ὁ λόγος, *recta rationis dictamen*, cui qui congruunt actus rectitudinem ineſſe debitam habent; hoc in habitu juſtitiæ eſt Jus, ſcilicet *ratio declarativa & directiva actuum ſive officiorum in quibus & quorum gratiâ ſocietas atque amicitias* & index illorum rectitudinis ac pravitatis. Ex jure illo emanat *Obligatio*, quæ eſt adſtrictio voluntatis ſociorum & amicorum ad dictorum officiorum executionem. Quod ulterior extrinſeca vis compulſiva ad peragendum officium quandoque neceſſaria eſt, hoc jam arguit animum refractarium & contumacem. Adeoq́ue quatuor illa, communio ſive ſocietas, amicitia, jus, obligatio nexu perpetuo juncta ſunt, περὶ ταῦτα καὶ ἐν τοῖς αὐτοῖς ὄντα: *circa eadem*, i. e. actus ſociales, & *in iisdem*, i. e. perſonis ſociatis exiſtentia. Poſtremum hoc, nempe obligationem tribus illis conjunctam eſſe ipſe ſummus Philoſophiæ Ariſtoteles ſtatuit *IIX. Nicom. c. XII. §. 42.* h.v. τὸ δὲ πῶς συμβιωτέον ἀνδρὶ πρὸς γυναῖκα, καὶ ὅλως φίλῳ πρὸς φίλον, οὐδὲν ἕτερον φαίνεται ζητεῖσθαι, ἢ πῶς δίκαιον: i.e. *quæ autem ſit obligatio mariti erga uxorem, & omnino amici erga amicum, nihil aliud quæri videtur quàm, quæ ſit juris inter eos conſtituti ratio.* Sed de iis quæ hujus generis ſunt paulo poſt plura.

IIX. Quem in finem de virtute intellectuali in Ethicis agendum? Non dari felicitatem aliam theoreticam aliam practicam. Quatenus illa felicitatis diviſio tolerari poſſit?

IIX. Poſt-

IIX. Poſtquam ita ſunt expoſita quæ ad morum virtutes pertinent, intellectuales habitus definiuntur ac diſtinguuntur: Conſtituunt enim operationes virtutum intellectualium alteram velut claſſem actuum, in quorum exercitio hominis beatitudo ſita. Felicitatem autem theoreticam à practicâ, vel hanc ab illâ ſeparatam concipere animo non poſſum. Cum enim felicitas ſit perfectum quiddam & omnibus numeris abſolutum, tali verò nihil poſſit addi; aliàs non foret ſummum & integrum; neceſſe eſt ut utriusque facultatis animæ perfectio felicitate contineatur. Niſi forte cum ex ſingulis hominibus alios contemplando alios agendo magis pollere videmus hanc loquendi formulam amplecti licet.

IX. Quidnam per virtutem optimam & perfectiſſimam intelligi debeat? Virtus aut Simplex eſt, aut conjuncta ſive compoſita; hæc, in appetitu juſtitia, in intellectu Sapientia. Virtutum intellectualium diviſio.

IX. Cum in definitione beatitudinis mentio ſit *optima ac perfectiſſima virtutis*, per hanc videtur intelligi debere *juſtitia univerſalis directiva*, ἀρχικὴ, quæ *optima* eſt eò quod & aliorum ſalutem procurat; *perfectiſſima* autem, quod ceteras virtutes complectitur, *v. V. Nicom. 1.* Sed eadem directiva eſt, quatenus prudentiam quoque ſibi adjunctam habet, *ἅμα τῇ φρονήσει*, ait Ariſtot. *VI. Nicom. c. ult.* Cumque ea ratione juſtitia univerſalis ſit totum quoddam ex reliquis virtutibus tanquàm partibus compoſitum, non male diſtinguunt nonnulli ſcriptores Ethici virtutem moralem in *ſimplicem* & *conjunctam*; quod diſcrimen & in virtutibus intellectualibus deprehendimus; aliæ enim videntur *ſimplices* eſſe, quæ vel *ſine diſcurſu* ſunt, ut *Intelligentia* ſive habitus principiorum; vel *cum diſcurſu*, ut *Scientia*; quæ pro diverſitate objecti aut *contemplativa*, aut *activa*, aut *effectiva*, Ariſt. *XI. Metaph. VI.* & *VI. Top. VI. t. 23.*; aliæ autem videntur *compoſitæ* ex ſimplicibus, uti *Sapientia*; conf. Adr. Heereboord. *Colleg. Eth. Diſp. XIV, n. 10.*

X. Fe-

X. Felicitatis humanæ eſſentia per quænam innoteſcat?
De partibus integrantibus felicitatis humanæ quænam in Ethicis declaranda ſint?

X. Eſſentiam felicitatis humanæ, declaratis ejusdem genere proximo & differentiâ ſpecificâ, ſatis manifeſtam eſſe ſtatuendum videtur; adeò ut quod definitioni adjicitur, IN VITA PERFECTA, omitti poſſit judice *Cl. Thomaſio* apprimè curato moralium principiorum interprete: Haud pigeat tamen ante demonſtratorum inſtitutâ recapitulatione concisâ, hunc pulcherrimum pulcherrimæ doctrinæ, utpote rei pulcherrimæ, juſtitiæ univerſalis (nam οὔθ' ἕσπερος οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαςός, *neque Heſperus neque Lucifer adeò admirabilis*) eſſentiam declaranti colophonem imponere; in quo primùm doceatur, hujus vitæ felicitas magisnè inclinet ad theoriam an praxin, an verò contra? an pari gradu ad utramque; & quis ſit modus, quæ determinata quantitas partium felicitatis, tùm principalium utpote virtutis, tùm inſtrumentalium, ut honoris, poteſtatis civilis, divitiarum, amicorum? *Ariſt. 1. Rhet. V. n. 5.* disertè tradit partes humanæ felicitatis: Eſt tamen felicitas in omnium illorum debito uſu, non autem nudâ poſſeſſione ſita.

v. Nicom. 1. §. 34.

XI. De variis vitæ generibus quatenus in Ethicis agendum? Vitam privatam & à regibus expetitam. Vitæ privatæ encomium apud Senecam. Publicæ poteſtates ſceleribus impiorum oppoſitæ.

XI. Porrò declarandum, in quo ſtatu ac genere vivendi ad felicitatem contendere magis ſit expeditum; an fieri hoc poſſit extra civitatem, an verò in civitate debeat fieri? Porrò, quodnam civilis *vitæ genus* felicitati obtinendæ ſit convenientius. utrum privati hominis, an in poteſtate publicâ poſiti? Vidit ſanè antiqua & recens ætas maximos Reges & Imperatores, etſi non ita multos, ultrò cedere Imperio, privatæque fortunæ mediocritatem diademati anteponere, De Diocletiano *Rupertus* Hiſtor. Univ.

Univ. c. 14. p. m. 398. *Sone in horto occupatus ſcire potuit viciniorem ligoni quàm ſceptro felicitatem eſſe.* Et *Ariſtot.* x. Nicom. c. ult. *δυνατὸν δὲ καὶ μὴ ἄρχοντας γῆς καὶ θαλάττης, πράττειν τὰ καλά. Fieri verò poteſt, ut & qui terræ marique non imperant honeſte vivant.* Et Seneca:

Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico;
Me dulcis ſaturet quies,
Obſcuro poſitus loco,
Leni perſruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Ætas, per tacitum fluat.
Sic cum tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies,
Plebeius moriar ſenex.
Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus
Ignotus moritur ſibi.

Verùm enim verò perniciosum foret rebus humanis ſi, ut *Barcl. V. Argen. in Orat. Aneroeſti* ait, omnis ſe virtus ita in ſolitudinem ac paupertatem daret, ut fracta & abſens, non viribus aut pudore ſceleribus impiorum poſſet obſtare. Magna eſt provincia, quam Deus illis deſtinat quos ſorte naſcendi, vel ſecretis ſtimulis, vel legitimâ vocatione jubet non fugâ ſed bello in vitia certare. Et his animos quoque magnarum rerum capaces atque avidos largitur. Ex tali indole fluxit plane heroica vox Cæſaris Veſpaſiani: *Imperatorem ſtantem mori oportere.* Vid. Forſtner. *Not. Polit. continuat, ad libb. poſt. Annal. Tacit. p. m. 98. ſeqq. & p. 105. 106.* Conf. *Plutarch.* lib. *An ſeni ſit gerenda Reſpublica?*

XII. Felicitas & virtus hominum diverſa eſt, pro diverſis vitæ generibus.

XII. Quod ſi autem fieri non poteſt ut omnes idem ſpecie

genus vitæ ſectentur; & verò aliud vitægenus majoris felicitatis capax videtur alio; uti imperans ad altiorem beatitudinis gradum eniti poteſt, quàm ſubditus; neceſſe eſt felicitatis, cujus ſummum gradum tanquam menſuram graduum inferiorum Ethicus definit, plures eſſe in ſingulis individuis, quibus felicitas ineſſe dicitur & ineſt, varietates ac differentias, quarum ſingulæ de primâ illâ ſpecie, aliæ magis aliæ minus, participant. Et uti virtus ſubditorum adminiſtra eſt virtutis imperantium, ſic & temporalis ſubditorum felicitas eſt pediſſequa imperantium felicitatis: Et alia felicitas Hectoris, alia Ariſtotelis: Nam & diverſa virtus, & diverſum vitæ genus; hoc enim tanquam Spartam ſinguli, qui cum ratione vivunt, ornant. Et cuilibet honeſto vitæ generi propria ac domeſtica reſpondet beatitudo, quam tamen paucis obtinere datur; ac ſi quis ejus fulgor nonnullos illuſtrat, comitantibus tamen & quandoque furentibus calamitatum procellis ille obſcuratur: ut vel ipſe *Antigonus Rex* diadema regium appellaverit *nobilem magis quàm felicem pannum*; teſte Valer. Max. lib. 7. c. 2. *inter externa.*

XIII. Quis ſit Moralis doctrinæ epilogus? Quatenus civilis doctrina de felicitate agat?

XIII. Ex hujuſmodi aut ſimili Moralis Philoſophiæ epilogo tranſitus commodè poteſt fieri ad doctrinam civilem, quæ felicitatis cuilibet homini aut civitati quærendæ gradum cujuslibet capacitate ſive aptitudine metitur. vid. Ariſt. *IV. Polit. XI.*

CAPUT II.

De moralis doctrinæ in Iure civili interpretando uſu generatim diſſeritur.

§. I.

Quatuor primaria Moralis doctrinæ, & moralium dogmatum obligationem parientia fundamenta. Quænam obligatio publicis

cis privatisque poteſtatibus annexa? Diverſa regendorum indoles diverſum poſtulat regiminis genium.

Um autem moralis Philoſophus univerſam prædictarum rerum ſeriem ex cauſis ſuis demonſtrant, non poteſt non ſimul declarare ingentem juris civilis interpretandi principiorum multitudinem. Duæ illæ (1) de *Providentiâ Numinis*, (2) *animæque humanæ* poſt corporis interitum *permanſione* notiones, (quas *unâ eademque ratione ſtabiliri, neque poſſe relinqui alterâ ſublatâ alteram*, ſtatuit *Plutarchus* de Serâ Num. Vindictâ? Graviſſima ſunt verba Auctoris: Εἷς οὖν ἐστι λόγος ὁ τοῦ θεοῦ τὴν πρόνοιαν ἅμα καὶ τὴν διαμονὴν τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς βεβαιῶν· καὶ θάτερον οὐκ ἔστιν ἀπολιπεῖν ἀναιροῦντα θάτερον,) porrò quæ (3) de ipſâ eſſentiâ humanæ felicitatis, & (4) *voluntati humanæ* ad ejus proſecutionem à Naturali jure *injectâ obligatione* naturali intellectus lumine cognita ſunt, cuilibet tùm privatâ tùm publicâ hominum regendorum poteſtate pollenti imprimunt notitiam obligationis ad imperium ſalutis ſubjectorum gratiâ gerendum; manente interim diverſo regiminis genio diverſæ regendorum indoli reſpondenti & proportionato; Etenim ubi reſpectus imperii ac ſubjectionis inter plures exiſtit, καὶ δίκαιον, καὶ δεῖ τὸ μὲν ἄρχεσθαι, τὸ δ' ἄρχειν, ἣν πεφύκασιν ἀρχὴν ἄρχειν: *& juſtum eſt, & oportet illum quidem regi hunc verò regere eo regiminis genere ad quod aptus natus eſt:* Hanc autem aptitudinem natura ac conſtitutio regendi ſignificat; tanquam potentiam paſſivam ac vim inſitam, quam imperans elicere & ad perfectionem naturæ ſuæ debitam perducere tenetur.

VI. Nicom. v. n. 14. 15.

Ariſtot. I. Polit. IV.

II. Officium domini erga ſervum ex mente Ariſtotelis, S. Auguſtini, Philonis. Homo ad finem ſupernaturalem conditus.

II. De ſolo heri erga ſervum officio dubitari videtur, utrum & dominus ad felicitatem ſervo quærendam naturali jure obſtrictus ſit? *Ariſtoteles I. Polit. IIX.* ſtatuit, ſervo virtute exiguâ opus eſſe & tantillâ, ne aut per intemperantiam aut per ignaviam miniſterium deſerat. Idem *IIX. Nicom. c. XI. in fine* concedit,

inter dominum ac ſervum, in quantum is homo eſt, καθ' ὅσον ἄνθρωπος, amicitiam exiſtere. Magis diſertè *S. Auguſtinus* definit officium herilis imperii; *Domeſtica pax à juſtis patribus ita olim adminiſtrata eſt, ut ſecundum hæc temporalia bona filiorum ſortem à ſervorum conditione diſtinguerent; ad Deum autem colendum omnibus domûs ſuæ membris pari dilectione conſulerent.* Præclarè etiam Philo: *Etiam de ſervis lex loquitur occiſis per vim ac injuriam; hos fortuna & conditio vilior diſtinguit à ſuis dominis; de cetero natura utriuſque communis eſt eadem. At lex divina regulas juris non fortunæ ſed naturæ accommodat.* Præclarè inquam: Etenim diſtinguendum eſt inter qualitates hominum temporales, ſive conditionem quæ cum vitæ temporalis exitu terminatur? & finem ſupernaturalem, cui quicquid animâ rationali præditum, à Naturæ auctore deſtinatum: Et hujus reſpectus limites ponit poteſtatis herilis exercitio; eique adjungit obligationem, ſi non temporalis, ſaltem æternæ felicitatis adipiſcendæ occaſionem, quantum in poteſtate domini, ſervo ſuppeditandi.

de C. D. li. 19. c. 16.

Lib. de ſpecial. legib.

III. Actuum civilium merita ex voluntatis ad eos concurſu æſtimantur. Ex defectu voluntatis actibus civilibus deeſt perfectio, delictis reatus. Differentiæ actuum humanorum.

III. Cujuslibet porrò directioni juris civilis ſubjecti *actûs merita* inde inter alia æſtimantur, ſi illum *plene* aut *minus plenè* vel *ſpontaneum* vel *deliberatum*, aut verò *invitum* eſſe conſtet. Ex voluntatis defectu omnem actum, ſive ex unius ſive duorum conſenſu fluere debitum, (i. e. qui plenum vigorem, niſi ſponte fiat, non habet,) *imperfectum* eſſe in Jure civili tralatitium eſt. Hinc teſtamentis, conventionibus, delictis non voluntariis, aut involuntariis, eô ipsô quod ſunt talia, defectus adhæret; qui tamen in Jure civili diverſa poſt ſe trahit conſequentia: Nam teſtamentum inde ipſo jure nullum eſt. Unde *l. 1. C. Si quis aliquem teſt. prob.* Imperator reſcribit: *Civili diſceptationi crimen adjungitur;*

tur, ſi teſtator non ſuâ ſponte teſtamentum fecit, ſed compulſus ab eo qui hæres eſt inſtitutus. Conventio non voluntaria, utpote quæ metu extorta, reſcindi poteſt. *Delicta* involuntaria, quæ *prorſus* ſunt *caſualia*, ne quidem delicti nomine rectè appellantur; quatenus autem iis culpa ſubeſt, reatus adeſt, qui creſcit aut minuitur prout actus magis aut minus voluntarius. Quid autem ſit voluntarium, non-voluntarium, involuntarium, non-involuntarium, quid deliberatum, indeliberatum, qui cujusque gradus, quæ cujuslibet differentiæ cognoſcendæ propria principia, morali doctrinæ domeſticum eſt argumentum.

IV. Habituum moralium & legum civilium objecta coincidunt. Actus liberi aut morales ſunt aut moralitatis capaces. Definitio legis, actuum liberorum, moralitatis. Actus lege determinati ſunt actus aut juſtitiæ aut injuſtitiæ. Definitio juſtitiæ & injuſtitiæ univerſalis. Quid ſit ex totâ virtute conſtitui? Actus virtutum moralium abſolute conſideratarum ab actibus juſtit. univerſalis tantum reſpectu differunt.

IV. *Habituum moralium*, quorum cauſas & conſtitutionem Moralis Philoſophia declarat, *objecta* nempe actus liberi morales aut moralitatis capaces, ſunt quoque *objecta legum civilum:* Jus enim ſive lex eſt oratio, aut ratio directiva actuum liberorum, habens vim cogendi: *actus* autem *liberi* ſunt, quorum principium in agente ſitum; ſive qui ut vel ſuſcipiantur vel omittantur, ut ſic aut aliter gerantur in agendi vim habentis naturali potentiâ eſt; Sed *Moralitas* conſiſtit in habitudine ſeu reſpectu actionis ad dictamen rectæ rationis ſive jus quo circumſtantiæ actûs determinantur; & actus aliquis moralis eſt eò quod una alteraque ejus circumſtantia lege eſt determinata, & moralis evadit ſeu moralitatem induit cum circumſtantiæ ejus indifferentes lege determinantur, ita ut ante determinationem eam qui fuit actus indifferens, poſt eam non jam amplius indifferens ſit, ſed

111. Nicom. c. V.

interſit ſic an aliter geratur. conf. Ariſtot. *V. Nicom. VII. n. 5.* Omnis verò juris civilis diſpoſitioni ſubjecta actio ad juſtitiam
infr. c. III. eivé habitum oppoſitum pertinet; illam ſpectat ut introducen-
§. 9. 11 11. dam & in civitate conſervandam; hunc ut avertendum: Igitur aut ad univerſalem, aut ad particularem: utraque autem eſt habitus moralis; & illa *κατὰ τὴν ὅλην ἀρετὴν τεταγμένη δικαιοσύνη καὶ ἀδικία, ἡ μὲν τῆς ὅλης ἀρετῆς οὖσα χρῆσις πρὸς ἄλλον· ἡ δὲ τῆς κακίας. quæ ex totâ virtute conſtituta eſt juſtitia & injuſtitia, hæc quidem totius virtutis uſus eſt erga alium, hæc verò improbitatis.* Cum ex totâ virtute conſtituitur juſtitia, actus virtutum moralium, v. c. temperantiæ, fortitudinis, liberalitatis &c., quatenus ad ſcopum civilis ſocietatis obtinendum neceſſarii ſunt, jure civili definiti & præcepti, ac veluti in unum juſtitiæ corpus redacti intelliguntur; per
1. Rhet. quam *incorporationem*, & ad alterum, *πρὸς τὸ κοινὸν, ἢ πρὸς ἕνα τῶν*
XIII. *κοινωνούντων, ad communitatem aut unum è communitate* factam definitionem ac determinationem *eædem virtutum moralium actiones novam quaſi ſpeciem induunt*: quippe quatenus ſunt ejuſmodi actiones, quæ in mediocritate ad agentem relatæ conſiſtunt ejusque animum perficiunt, aut ad temperantiam, aut liberalitatem, aut manſuetudinem pertinent; quatenus verò ad alterum ſunt determinatæ & publicæ privatæque aliorum ſalutis causâ ſuſcipiendæ, ſpectant ad juſtitiam. *arg.* § *fin. c. 1. lib. V. Nicom.*

V. De Juſtitia univerſali quatenus agant Ethica, Politica & Juriſprudentia. Quodnam ſit Juriſprudentiæ proprium munus, & à Philoſophia practica diſcrimen.

V. Propter hanc rationem viſus mihi eſt Ariſtoteles *libro V. Ethicorum* conciſius propoſuiſſe doctrinam de juſtitiâ univerſali, utpote cujus materialia, ut ſic dicam, jam libro 3. & 4. expoſuerat; ſed eosdem actus ad Rempublicam definiendi rationes cognitâ civilis ſocietatis conſtitutione, ac differentiis, conſervantibus ac corrumpentibus perſpectis demùm poſſunt intelligi. Aſt *uſus & applicatio legum* ad actus ſingularis cujusdam Reipubli-

publicæ, *ipſaque* hujus & illius *civilis ſocietatis* ex præſcripto juris civilis *ad ſalutem & quantam capit felicitatem directio* Jurisprudentiæ domeſticum ſeu proprium munus eſt. *v. infr. c. 3. §. fin.*

VI. De cognatione inter Philoſophiam Practicam & Jurisprudentiam teſtimonia Melanchthonis, Gloſſæ Inſtit. Iur. Canon. Dogmatum Metaphyſicorum uſus in jure civili interpretando;

VI. Arctiſſima hæc Philoſophiæ Practicæ & Jurisprudentiæ cognatio utrâque ſcientiâ cultis ingeniis perſpecta eſt; quique in alterutrâ illarum tabernaculum vitæ collocârunt, ſcriptis ſuis eandem extollunt. *Melanchthon* Commentarioſo in v. Nicom. *Nec ſimile*, ait, *quicquam exſtat ſcriptum, ubi jus & natura juſtitiæ planius & perfectius cognoſci poſſit, quàm ex hoc libro. JCti multa præcepta mutuantur ex hâc doctrinâ quam hîc tradidit Ariſtoteles. Verùm hîc ſunt cauſæ & demonſtrationes illorum præceptorum, quorum cognitio & utilitatem magnam habet in vitâ, & incredibilem voluptatem homini ingenioſo adfert.* Et *Gloſſator Inſtit. Iur. Can. ad inſcript. prooëm.* motam à ſemetipſo quæſtionem, *cui parti Philoſophiæ ſupponatur præſens opus Inſtitutionum*, ſic determinat: *Supponitur Ethicæ i. e. Morali ſcientiæ, ſicut & alii libri juris.* Ibidem ad *tit. de jure Can. p. m. 9.* ait: *ſequitur, quod hæc facultas* (intelligit ſcientiam Juris Canonici) *non ſubjicitur ſimpliciter Ethicæ, ſed etiam Metaphyſicæ.* Verùm in eo errat quod Metaphyſicæ nomine Theologiam intelligit. Aliàs ea ſcientia quam cultior Philoſophia *Metaphyſicam* appellat, reverà continet dogmata quorum in jure civili intelligendo & declarando uſus eſt neceſſarius; utpote de eo quod eſt in *potentiâ* & quod *actu*; de *actu primo* & *ſecundo*; de *causâ* & *effectu*, &c. quorum oſtenſio noſtri jam non eſt inſtituti.

VII. Quo loco in Ethicis tradenda ſit doctrina de amicitia. Jus Æquum, τὸ ἐπιεικὲς, amicitiæ præceptis continetur. Officiorum amicitiæ convenientia cum actibus juſtitiæ commutati-

mutativæ. Retributionum æqualitas nunc arithmeticâ nunc geometrica ratione conſtat.

VII. Quod de *Amicitiâ* ejusque ſpeciebus, & officiis, & repugnantibus, & conſervatione in Ethicis docetur, utut vel ab ipſo Ariſtotele ſeparatim, nec continuâ cum argumento de juſtitiâ ſerie tradatur; naturali tamen cum eô nexu junctum eſt. Et quidem ut, quod mihi viſum, liberè dicam, exiſtimo præſentem de amicitiâ doctrinam immediatè ſubnectendam eſſe capiti de

v. Nicom. x. n. 9. *Æquitate.* Τὸ ἐπιεικὲς δικαίου τινός, βέλτιόν ἐστι δίκαιον. *Æquum in jure*

IIX. Nicom I. n. 22. *aliquo, optimum jus eſt.* Jam verò idem ſtatuit: Τῶν δικαίων τὸ μάλιστα, φιλικὸν εἶναι δοκεῖ. *Quod inter jura maxime eminet*, (tale verò utique optimum fuerit,) *amicitiæ* (perfectæ) *officia continere videtur.* Et jam ante eundem vidimus docentem, *Socialia & amicitiæ officia cognoſci ex jure quod inter amicos obtinet.* Quod ſi rem accurate perpendimus, omnes ac ſingulæ *ſpecies amicitiæ* videntur commode reduci poſſe ad illud genus actuum juſtitiæ commutativæ quibus *bonum bono retribuitur*; Mutuis quippe officiis conſtat amicitia, & ἀντιφιλήσει, *mutuâ dilectione*: In hac quoque æqualitas ſervanda eſt, & *amici* dignitate *æquales* κατὰ ποσὸν i. e. *proportione arithmeticâ* exercent mutuam dilectionem, *inæquales* verò κατ' ἀξίαν, *proportione geometricâ.* Ariſt. *IIX. Nicom. VII.* Τοὺς ἴσους μὲν κατ' ἰσότητα δεῖ τῷ φιλεῖν καὶ τοῖς λοιποῖς ἰσάζειν. Τοὺς δὲ ἀνίσους τῷ ἀνάλογον ταῖς ὑπεροχαῖς ἀποδιδόναι. *æquales quidem pro æqualitate arithmeticâ oportet mutuo amore & reliquis (amicitiæ officiis) æquari: Inæquales verò pro ratâ exceſſuum portione retributionem inſtituere.* d. l. c. 13.

IIX. Conceptus juſtitiæ & amicitiæ quomodo differant.

IIX. Aliàs conceptus *juſtitiæ* videtur inferre ſaltem unius virtutem jus ſuum alteri tribuentem, *Amicitia* autem, perfecta cumprimis, denotat plurium virtutem jus ſuum invicem tribuentem, ſeu *mutuam duorum pluriumve juſtitiam.*

IX. Jus

IX. Jus ſuum alteri tribuere quando ſit, & quando non ſit actus ſeu juſtitiæ ſeu amicitiæ. De juſtitia judiciali. Amicabilem compoſitionem leges præferunt proceſſibus litigioſis.

IX. Uti autem in univerſum actus hominum aut ſunt *ſpontanei*, aut *inviti*, aut verò ex invito & ſpontaneo velut *mixti*, cujuſmodi ſunt quæ metu aguntur; ita & in ſpecie actus quibus jus ſuum alteri tribuitur totidem modis differunt; & utut aliquis alteri jus ſuum tribuat, non ſtatim hoc vel juſtitiæ vel amicitiæ officium fuerit, *ἐὰν μὴ τὸ ἑκούσιον προσῇ*, *niſi ſpontaneum acceſſerit*, i. e. nî ſpontè id tribuatur: Hoc igitur caſu fit quodammodo juris & amicitiæ divortium, cum magiſtratus vel judex jurisdictione ſuâ compellit *reum* ad jus ſuum *actori* tribuendum. Ille enim licet jus ſuum huic tribuat, non tamen ut homo juſtus, nec ut amicus tribueret tribuit; quippe qui ſponte & nullâ vi nullo metu impellente id agunt. Et de hac juſtitia quæ *violentam juris adminiſtrationem* complectitur, intelligendus eſt Ariſtoteles cum *legislatores in amicitiâ quam juſtitia civili obtinendâ plus ſtudii ponere*, &, *amicitiâ præſente non opus eſſe juſtitiâ* contendit. Qua intentione & noſtri legumlatores judicio contendere cupientibus haud permittunt *proceſſus* litigioſos, niſi prius tentatâ *amicæ compoſitionis* viâ; vid. Brunnem. *Proc. civ. c. 2. n. 5.* Id quod in omnibus ferè Europæ provinciis vel conſuetudine vel ſtatuto obtinere oſtendit Carpzov. *proc. civ. tit. 10. art. 1. n. 18.*

v. Nicom. IIX. n. 3.

X. Actus legum diſpoſitioni ſubjectos reduci poſſe ad aliquam amicitiæ ſpeciem. Quænam ſint ſpecies amicitiæ? In judiciis reconciliatur amicitia. Scriptum jus quonam defectu frequenter laboret? Quomodo ex Æquitate ſuppleri debeat ſcripti juris defectus.

X. Quandoquidem verò omnes ac ſinguli legum diſpoſitioni ſubjecti actus, quibus ſive *dando* ſive *faciendo*, aut *confertur* aut *refertur* bonum aliquod, necnon omnes quibus volentes volenti-

viii. Nic. iii. c. vi. 26. c. vii. lib. ix. c. 1. bus jus ſuum tribuunt, reduci poſſunt ad aliquam (1) ſive *honeſtæ*, ſive *utilis*, ſive *jucundæ*; (2) ſive *æqualis*, ſive *inæqualis*; (3) ſive *ſimiliformis* ſive *diſſimiliformis* amicitiæ ſpeciẽ; in violenta quoq; juſtitiæ adminiſtratione & *contentioſa juriſdictione* inter judicẽ & victorem cauſæ magis proprie dicta juſtitia & amicitia videtur intercedere, qualis inter ſuperiorem & inferiorem, inter magiſtratum ac ſubditum locũ invenit; Inter actorẽ & reum vero redintegrari tentatur amicitia ea quam alter contentioni cauſam ſuggerendo violavit; adeoque dictis actuum ſpeciebus ſubeſt intentio ſeu exercendæ ſeu reconciliandæ amicitiæ; Inde conſequitur, ſi *ſcripta lex* in uno alteroq; dicti generis actuum determinando definiendoque *deficiat*, quod plerumque fit omiſſione unius & alterius *circumſtantiæ*, quæ *in facto* ſingulari *occurrere* poteſt, ὅσα μὴ ῥάδιον διορίσαι δι' Ariſtot. 1. Rhet. xiii. n. 26. ἀπειρίαν *ſupplendum* eſſe illum defectum ex univerſalibus illis rectæ rationis dictaminibus quibus ea amicitiæ ſpecies, ad quam propoſita *facti ſpecies* reducenda eſt, declaratur ac dirigitur; ita ut inter controverſantes illud ſtatuatur jus quod, ſi ſcripta lex vel tacet vel deficit, amicitiæ inter eos vel exiſtentis vel exiſtere debitæ rationi ac indoli conſentaneum: hoc enim ipſe legislator, Ariſtot. v. Nicom. x. ſi adeſſet, jus diceret, legemque ſuam ita declararet, ὃ κἂν ὁ νομοθέτης οὕτως ἂν εἴποι, ἐκεῖ παρών: quippe qui in amicitia obtinenda plurimum ſtudii ponit.

XI. Definitio Æqui ſeu τοῦ ἐπιεικοῦς. Quænam ſint principia & regulæ æquitatis.

XI. Cum igitur ex mente Ariſtotelis hæc ſit *natura æqui*, ſeu ejus quod præter ſcriptam legem juſtum eſt, τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον Ariſt. 1. Rhet. xiii. n. 24; quod ſcil. ſit ἐπανόρθωμα νόμου ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου, *correctio legis ea parte quâ ob generalitatem deficit*; v. Nicom. x; ex jamjam dictis hoc inſuper patet, quicquid de mutuis amicorum officiis toto *libro 8. & 9. Ethic. Nicom.* ab Ariſtotele traditum videmus, pro naturalis æquitatis, ex quâ omnis poſitiva lex tum ſupplenda tum declaranda, dictaminibus

bus haberi debere: Unde fortaſſis eſt quod gravis *Auctor Conſilii*, quod *inter Argentoratenſia* Volum. II. primum eſt, n. 96. *Ariſtotelem ſummum Juris Naturæ interpretem* appellat.

XII. Ex ſpeciebus & gradibus amicitiæ declarari poſſunt 1. ordo ac prælatio creditorum 2. gradus delictorum & injuriarum 3. Conſanguinitatis & cognitionis gradus. In quibus juris civilis partibus de cognationis gradibus quæratur?

XII. In ſpecie autem ea quoque pars juris civilis quæ de ordine ac privilegiis creditorum agit ex parte niti videtur iis quæ de ſubordinatione ſocietatum, amicitiæ, & obligationum in Ethicis demonſtrantur: Ad quæ reſpexit Cic. l. de Offic. in fine; cum *In ipſâ autem*, ait, *communitate ſunt gradus officiorum, ex quibus quod cuique præſtet, intelligi poſſit, ut prima Diis immortalibus, ſecunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur.* Videlicet diverſi illi gradus & ille *ordo officiorum* oritur ex multitudine, magnitudine, paucitate & mediocritate beneficiorum, quorum nomine alicui devincti ſumus; inde arctior & prior eſt noſtra obligatio erga Deum, à quo plura & majora quam ab ullo mortalium beneficia accepimus. conf. Ariſtot. *IX. Nicom. II.* Ex iisdem quoque principiis injuriarum gradus & momenta dijudicantur, ut infra *cap. VII.* oſtenſum. Conſanguinitatis & cognationis gradus, quorum diſcrimen ſpectatur 1. in nuptiis permittendis aut prohibendis, 2. in ſucceſſione ab inteſtato; 3. in tutelâ legitimâ, 4. in retractu gentilitio, 5. in teſtibus admittendis aut rejiciendis, cognoſcuntur ex diverſis ſpeciebus amicitiæ inter cognatos ex paternâ amicitiâ conſurgentis. ἡ συγγενικὴ δὲ (φιλία) φαίνεται πολυειδὴς εἶναι, καὶ ἠρτῆσθαι *Ariſt. IIX. Nicom XII ſ.*
πᾶσα ἐκ τῆς πατρικῆς. *Cognatorum amicitia videtur multiformis eſſe & tota pendere ex paternâ:* γίνονται δ' οἱ μὲν οἰκειότεροι, οἱ δ' ἀλλο- *ibid. n. 20.*
τριότεροι, τῷ σύνεγγυς ἢ πόρρω τὸν ἀρχηγὸν εἶναι, *Exiſtunt autem alii quidem propinquiores, alii verò remotiores eò quod propius aut longius ab iis diſtat auctor generis*, i. e. is à quo communem reliqui cognati

habent originem, quem nonnulli inconditæ Latinitatis auctores *communem ſtipitem*, & adhuc magis ridicule *Petrucium* appellant. Sed hic quoque, uti in ſuperioribus, ſaltem digitum ad fontes intendiſſe hactenus ſuffecerit.

CAPUT III.

Societatum ſpecies diſtinguuntur, & quamlibet integrè declarandi ratio oſtenditur.

S. I.

Species Juris totidem ſunt quot Societatis & amicitiæ ſpecies.

NOn tantùm circa eadem ac in iisdem, ut ante oſtenſum, exiſtunt Societas, Amicitia, Jus & Obligatio; quibus nunc adjungo Juſtitiam ac Injuſtitiam, quarum utraque eſt habitus activus ejuſmodi actuum circa quos illa verſantur: ſed altera conformiter præſcripto juris, altera contra juris præſcriptum activa: (hæc tamen duo non ſunt conjuncta ſed maximè disjuncta, & alternant in perſonis ſocietatem colentibus) verùm & quot habet unum ex dicto numero, tot habent cetera quoque ſpecies. Unicuique ſocietati propria ac velut domeſtica reſpondet amicitia, ut paternæ paterna, conjugali conjugalis, & in aliis ſimiliter; conſequenter & jus, & obligatio, & juſtitia & injuſtitia cujusque ſocietatis propria. In diverſis Rerumpp. formis juſtitiæ differentias agnoſcit *Ariſtoteles V. Polit. IX.* εἰ γὰρ μὴ ταὐτὸ, τὸ δίκαιον κατὰ πάσας τὰς πολιτείας, ἀνάγκη καὶ τῆς δικαιοσύνης εἶναι διαφοράς. *Quod ſi non eſt idem jus in omnibus Rerumpp. formis, neceſſe eſt & juſtitiæ differentias exiſtere.* Sed hoc ipſum in Ethicis ſolidè, nî fallor, demonſtratur *IIX. Nicom. IX. XI. XII.*

II. Communio ſive conſortio & ſocietas quomodo differant?
Omnis ſocietas boni alicujus gratiâ conſtat.
Societas inter Deum & homines ab una parte ſupponit boni abundantiam, ab alterâ indigentiam.

II. Omnis

II. Omnis communio (ita vocem *κοινωνίας* Latinè exprimi convenit, præeuntibus JCtis Romanis, quorum, teſte *Fab. Quintil.* Inſt. Orat. lib. v. c.vlt., ſummus circa verborum proprietatem labor eſt, *Socios* eos demum appellantibus quos formalis conſenſus conjunxit ad communem negotiationem: Qui verò veluti per ſortem aut fortunam ejusdem rei communionem habent magis dicuntur *Conſortes*, & ejuſmodi communio *Conſortio*, conf. Gothofr. *ad l. 96. §. 3. ff. de ſolut.* Rævard. *ad l. 85. §. quoties ff. de R. I.* Hinc §. *3. J. de Oblig. q. q. ex contr.* legimus; *Item ſi inter aliquos res communis ſit ſine ſocietate.* Attamen quoniam in ſcholis Philoſophorum receptum eſt omnem communionem ſocietatem appellare, & in ipſo quem jam citavimus Inſtitutionum textu, is qui in communione ſtat, ſocius vocatur; nobis quoque ita dicere liceat:) omnis ſocietas boni alicujus gratiâ conſtat; boni inquam, quod quis aut à ſe ſolo habere non poteſt, aut pro ſe ſolo habere non vult. Hujus generis eſt quæ inter DEUM & homines communio intercedit. Ille quidem ab æterno *αὐταρκέστατος*, non opus habet mortalium communione, niſi infinita ejus bonitas & alios ſuæ bonitatis participes reddere decreviſſet, à quibus eo nomine venerationem & obſequium, velut in recognitionem ſummorum beneficiorum, optimo jure reciperet. Agnoſcit hanc communionem, & inde hominibus injunctam obligationem Ariſtoteles *IIX. Nicom. c. XII. n. 21. 22. & c. XIV. n. 21. & lib. IX. c. 2.*

III. Hominum inter ipſos ſocietas omnis mutuam ſupponit indigentiam.

III. Omnis autem mortalium communio mutuam, i.e. ab utrâque parte, ſupponit indigentiam, etſi non ſemper æqualem utrinq; nec ejusdem rei; nec par ſemper utrinque facultas ſit explendæ ejus quâ invicem laborant indigentiæ. Sic parentes ad explendum immortalitatis appetitum, & ut, quales ipſi ſunt, tales poſteris relinquerent, genuerunt liberos; hi indigent nutritiis & educatoribus:

bus: Habetq; ſuperioris cum inferiore communio ab illius parte majus inſtar perfectionis, quàm imperfectionis & indigentiæ.

IV. Differentiæ ſocietatum ex fine illarum deſumtæ.

IV. Quot ſunt *differentiæ bonorum* vitæ humanæ, tot videndentur *differentiæ ſocietatum*: Sic alia pro ſcopo habet bonum aliquod ad corporis ſuſtentationem, alia ad animi perfectionem utile; alia unum tantummodo genus boni ſpectat, veluti Academia animi bona; alia verò plura bona conjunctim, ut ſocietas domeſtica, ac multo magis civitas, quæ omnem hujus vitæ bonorum ſufficientiam ſpectat: unde & plures in ſemet complectitur tùm *ſimplices* tùm *compoſitas* ſocietatum, tanquam effectrices particularum ad explendam indigentiam concurrentium. Quæ autem ſocietas *finem* ex pluribus ac diverſis bonis vel bonorum particulis *aggregatum* ſpectat, opus quoque habet *officiis ſpecie diverſis*; quæ proinde diverſam facultatem virtutemque perſonarum ſupponunt; & quodlibet officium proprio ſuo jure regitur.

V. Communio apud Ariſtot. ſignificat quamcumque commutationem boni cujusdam. Cujuſmodi commutatio intercedat inter donatorem & donatarium, inter beneficium conferentem & accipientem.

V. Ceterùm Ariſtoteles vocem κοινωνίας latius extendit
. Nicom. quàm JCti communiter ſolent: Is enim κοινωνίας ἀλλακτικὰς appel-
.7. lat quascunq; boni alicujus *commutationes inter duos, pluresve obligatorias*, quæ ſive formali ſive virtuali, ut ſic dicam, ἀντιμεταδόσει conſtant. Sic, v. c. pacto donationis, cui traditio rei donatæ conjuncta non eſt, transfertur jus petendi rem donatam in donatarium, eique ſimul velut eventualis *obligatio* ad ἀντίδωρα conſtituitur: an verò ullum, & cujuſmodi jus in foro civili efficax donatori reponatur, determinatu haud facile eſt; niſi forte facultatem exigendæ remunerationis in caſu extremæ neceſſitatis ei aſſerere velimus, uti Eccleſia tenetur alimenta ſuppeditare patrono ad inopiam redacto, *XVI. q. VII. c. quicunque 30.* Sed ubi eſt im-

menſa

menſa boni reapſe donati magnitudo, citra quod donatarius ſalutem adipiſci & retinere non poteſt, prægnans quoque & prævalidum in beneficium accipientem jus collatori reponitur; uti inter Deum & homines, Principes Reipubl. & ſubditos, Parentes & liberos manifeſtum. Ubi de mutuâ datione ac præſtatione conventum, certum eſt quod invicem transfertur. Mutuæ tamen *obligationes*, quibus ex adverſo reſpondent *jura* ſeu facultates exigendi illud ad quod alter ſe obligavit, ſunt incorporalia. Ubi verò *è manu in manum* res traditur & alia recipitur, ſenſui quoque obvia eſt ἀντιμετάδοσις ſive mutua datio.

VI. Συνάλλαγμα quid ſignificet? Commutatio & bonum & malum continet. Cujuſmodi commutatio delictis ſubſit? Damni datio ſive læſio quam obligationem pariat?

VI. Sed *commutatio inter duos pluresve obligatoria*, quod apud Ariſtotelem συνάλλαγμα dici videtur, non tantummodo bonum aliquod continet, cujus fit communicatio, ſed & *mali alicujus paſſionem alteri quandoque inurit*; quod eſt συνάλλαγμα ἀκούσιον apud Philoſophum. Et τὸ ἀκούσιον ſive *invitum* aut eſt *penes patientem*, ut in vulneratione, furto &c., aut *penes ejus* qui patitur *ſuperiorem*; uti cum adulteria, ſcortationes volentibus perſonis ea committentibus fiunt, invitis tamen illis *quorum in poteſtate ſunt*, utpote parentibus, maritis, Republicâ; aut, ſi hi condiveant, invito Numine perpetrantur. Scilicet

Omne ſub regno graviore regnum.

Si rem rectè perpendimus, omnis voluntaria aut ſcriptæ aut non ſcriptæ legis tranſgreſſio, omnis juſti imperii contemtus eſt συνάλλαγμα ἀκούσιον i. e. *commutatio obligatoria invita*, ſc. contra illius, cum quo velut contrahitur, intentionem facta: læſio enim, nempe contemtus ac vilipendium legislatoris, aut juſſionem interponentis, ab unâ parte ſubeſt; at hâc ratione læſo reponitur jus exigendæ redintegrationis boni imminuti, auctoritatisque, quàm alter imminutum ivit, vindicandæ. Sic liberi cum parentibus,

bus, ſubditi cum principibus, homines cum Numine ex delicto contrahunt *reatum*, i.e. obligationem ſubeundæ coërcitionis delicto debitæ, & ejus auctoritate, cujus auctoritas læſa, ſuſcipiendæ; omnisq; læſio culpoſa lædentem læſo ad ſatisfactionem obligat.

VII. Læſiones in ſocietatibus ex injuſtitiâ promanant. Explicatio definitionis juſtitiæ.

VII. Contingunt verò ejuſmodi læſiones, quibus res aliqua, aut corporalis aut incorporalis, v. c. libertas, exiſtimatio, invito contra jus detractum itur, in omni ſocietate cujus ſocii officio ſive muneri ſuo congruam virtutem non habent perfectam: Virtus illa eſt Juſtitia, *conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi*; ſive, implendæ obligationis, quâ cuique devincti ſumus, conſtans & perpetua animi propenſio; quæ, ſi facultas adſit, non poteſt non eſſe activa ejus quod juſtum. Quod ſi nec conſtans nec perpetua adſit talis voluntas, ſed inconſtans, & interdum activa juſti interdum contemtrix, ut in rebus humanis contingit; virtus ſane non adeſt perfecta, ſed *volubilis* ſaltem *diſpoſitio* aut ad juſtitiam, ſi ad hanc; aut ad injuſtitiam, ſi ad hanc voluntas magis propendeat.

IIX. Diviſio ſocietatis in permanentem & momentaneam. Omnis ſocietas ad ſui permanſionem opus habet juſtitiæ exercitio. Juris & amicitiæ violatio parit diſſociationem. Diſſociaquemadmodum præcaveatur?

IIX. Omnis ſocietas quæ finem ſuum per aliquem tractum temporis expetit, tamdiu donec ille expetitur, opus habet amicitiâ, & jure, & juſtitiâ, & ejus exercitio: Sed & quæ veluti momentanea eſt, uti cauponis & commeſſatoris, aliquem obligationis tractum habet, ſi forte alter læſerit alterum: & emtio venditio, quæ ex mente Philoſophi itidem eſt κοινωνία ἀλλακτική, utut precium numeratum & merx tradita ſit, tamen poſt ſe relinquit obligationem ad præſtandam *evictionem*, ac certo caſu ad ſubeundum *quanto minoris, redhibitorium, reſciſſorium judicium*. Et quamdiu in

diu in qualibet ſocietate jus ſuum cuique tribuitur, tamdiu ſocietas quæque permanet. Ubicunque autem officia debita negliguntur, indebita peraguntur, obligatione, jure, amicitiâ & ſocietate violatis *diſſociatio* imminet; ad quam avertendam opus eſt ut jus placidam *dirigentis* faciem in ſeverum *coërcentis* & ſocietatem vi continentis vultum convertat; id quod ad ſocietatis conſervationem naturali ratione neceſſarium eſt: Societate autem communis hominum ſalus nititur.

IX. Tres poſitiones actuum ad quos jus & juſtitia pertinent. Rectitudo in actibus juſtitiæ univerſalis & particularis unde cenſeatur? Officia perfecta, officia media. Quænam ſit natura ſocietatis inter ſuperiorem & inferiorem?

IX. Tres igitur veluti poſitiones videntur actuum quos Jus ac juſtitia in hâc temporali vitâ reſpiciunt: Primo ac præcipuo loco ſunt *actus primæ juris ac juſtitiæ intentioni conformes.* Vult quippe legiſlator ut omnes quibus legem tulit ſponte & per ſe faciant facienda & fugiant fugienda, ex præſcripto legum; Hæ verò juſtitiæ tùm univerſalis tùm particularis actus præcipiunt, & contrarios prohibent. Actus juſtitiæ univerſalis in civili ſocietate & aliâ quacunque proximè æſtimantur inde, quod ad *ſalutem ſociorum & ſocietatis* eorum ſuſceptio, ſive geſtio, & contrariorum fuga neceſſaria eſt, *V. Nicom. c. 1. n. 30.* Sed rectitudo actuum juſtitiæ particularis conſiſtit in *æqualitate diſtributionum ac commutationum* rerum inter perſonas; quâ ſervatâ durat affectio ſocietatis colendæ, & neglectâ nec emendatâ eadem ceſſat. *d.l.c. 2.* Illi *actus primò ac per ſe*, nec ex accidente, ſive ἐξ ὑποθέσεως *juſti* à Philoſophis appellari videntur *Officia perfecta*, κατορθώματα, at omiſſiones actuum prohibitorum, *Officia media.* Communio inter DEUM & homines probos, Principes regios & ſubditos obſequentes, parentes pios & liberos morigeros, omnemque ſuperiorem & inferiorem officii ſui limites ſervantem, *à parte ſuperioris* nihil aliud eſt quàm continua beneficiorum exhibitio;

Cic. 1. de Off. Ambroſ. 1. de Offic. c. XI.

viii. Nicom. 21. pr. ἐν ὑπεροχῇ εὐεργεσίας, ait Philoſophus, eſt hujuſmodi amicitia; *à parte inferiorum*, continua acceptorum beneficiorum remuneratio, non ἰσόῤῥοπος *æquivalens*; ſed ἐνδεχομένη, *quæ fieri poteſt*. Hic quippe naturalis modus ſocietatum inter ſuperiores, & inferiores, ut illi beneficiorum collatione excellant, hi obſequio & veneratione pro viribus reſpondeant: talis etiam hîc amicitia, & tale ix. Nicom. 2. n. 17. 18. jus, & ſimilis obligatio. Aſt οὐ ταὐτὰ πᾶσιν ἀποδοτέον, *non eadem omnibus*, verùm ἑκάστοις τὰ οἰκεῖα καὶ τὰ ἁρμόττοντα ἀπονεμητέον, *ſingulis propria & congruentia tribuenda.*

X. Fundamentum ſocietatis inæqualis & æqualis. Cujuſmodi inæqualitas in ſocietatibus mercatoriis obtineat.

X. Fundamentum ejuſcemodi communionis eſt unius excellentia alterius imbecillitatem ſublevare idonea; unde exiſtit ἴσον τὸ κατ' ἀξίαν, *æqualitas pro dignitate.* Sed perſonarum æqualium ſocietas nititur æquali virtute productivâ finis quem ſocietas ſpectat; unde ἴσον τὸ κατὰ ποσόν, *æqualitas arithmetica*, per quam uni tantum poteſtatis debetur quantum alteri, quæ poteſtas vel conjunctis conſiliis, vel per vices exerceatur: in illâ verò (inæquali ſocietate) alter poteſtate ſuperior eſt, alter inferior, & illius juri ſubjectus. Societatibus quidem mercatoriis quoque contingit, *non utique ex æquis partibus ſocios habere*, veluti ſi alter plus operæ, induſtriæ, pecuniæ in ſocietatem conferat, *l.6. l.29. l.80. ff. pro ſoc.* Sed hic exceſſus collationis alterum altero non facit ſuperiorem imperio; nam hîc tantùm ſpectatur lucrum & damnum pecuniarium, quod *pro ratâ*, ut ajunt, dividitur: Interim quod ejuſmodi ſocietatis directionem attinet, naturale videtur, ut qui plus confert, plus quoque valeat in deliberatione de negotiatione utiliter inſtituendâ, ſi ſuffragia *numero* magis, quàm *pondere*, ſeu ratione æſtimentur.

XI. In omni hominum ſocietate neglectus officii debiti locum invenire.

XI. Ceterùm, ut jam ante dictum, in quantum cujuslibet com-

communionis ſociis ineſt juſtitiæ defectus, in tantum officia ſocialia claudicant, & à præſcripto juris ordine declinant. Per inductionem hoc poſſet oſtendi, nî chartæ, quanquam & aliàs perituræ, parceremus. Sed omnibus mortalibus tùm ceterarum virtutum, tùm inprimis juſtitiæ defectum adhæreſcere, nimium quàm manifeſtum eſt. Vbicunque igitur exiſtit, & quousque ſe extendit mortalium ſocietas, ibi & eousque locum inveniunt omiſſiones officii debiti, & commiſſiones actuum prohibitorum.

XII. Actus injuſti ſ. transgreſſiones juris aut neglectus officiorum unde cognoſcantur?

XII. Succedit itaque ſecundus ordo actuum ad quos cujuslibet ſocietatis Jus ac juſtitia reſpiciunt; qui tamen actus non *adverſam* ſive ad illos converſam, verùm *averſam* ab illis faciem gerunt: Sunt hi *actus injuſti in qualibet communione*; qui perinde ut juſti ac debiti ex præſcripto ac ratione juris, per quod ſocietas conſtat, intelliguntur. *ἱκανὸν γὰρ θάτερον μέρος τῆς ἐναντιώσεως, ἑαυτό τε κρίνειν, καὶ τὸ ἀντικείμενον. καὶ γὰρ τῷ εὐθεῖ καὶ τὸ αὐτὸ καὶ τὸ καμπύλον γινώσκομεν. κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν, ὁ κανών· τὸ δὲ καμπύλον, οὔθ' ἑαυτοῦ, οὔτε τοῦ εὐθέος. Ariſt. l. de* Anim. VII. t, 13. *Sufficit enim altera pars contrarietatis ad dijudicandum & ipſam, & oppoſitum; Et ſanè eo quod rectum, tùm ipſummet, tùm obliquum cognoſcimus: Judex enim amborum eſt regula ſive canon; Obliquum verò neque ſui ipſius, neque recti judex.*

XIII. Neglectus officii parit diſſociationem, & quomodo hæc præcaveatur?

XIII. Talis verò ſocietatum ſtatus in quo plurimus & continuus officii debiti neglectus, aut rectà tendit ad diſſolutionem, aut ſi qualitercunque cohæreat, finis ſane primò ac per ſe juri juſtitiæque propoſitus deficere minatur; ac revera deficit, nî abiturienti juſtitiæ occurratur, & vel invita retineatur quæ improbos ultrò refugit Aſtræa virgo. Finis enim cuique ſocietati propoſitus, niſi præſtitis & peractis officiis actibusque à quo-

D 2 libet

libet ſociorum debitis, (hæc ſunt *quæ in cujuslibet ſocii erga ſocietatem obligatione continentur*) non poteſt obtineri; id quod in herili, conjugali, paternâ, domeſticâ & civili ſocietatibus manifeſtum: Illa quippe ſunt media ad finem ordinata; Et uti mediorum debita adhibitio non poteſt non in finem propoſitum ducere, ſic per naturam non poteſt obtineri finis deficientibus mediis.

XIV. Duplex ſocietatum in finem propoſitum directio.

XIV. Hoc quoque in rebus humanis patet, quod ubicunque ad finem aliquem res quædam perducenda, aut per vim eò trahatur, aut ſponte ducatur: Ac ſi facultatem locomotivam & ſenſuum aliquod iudicium in ſeſe habet, primùm quidem oſtendendo, admonendo, minando, ut qualitercunque ultrò pergat, dirigitur; ubi autem declarationi, admonitioni, minis locus relinquitur nullus, jam dolore adhibito fit compulſio. Duplicis hujuſcemodi directionis imitamenta & in brutis, quæ ad paſcua, ad opus diurnum, ad ſtabula ducuntur, obſervamus; nec alia eſſe poteſt ſocietatum, quæ ex imperfectis & admixtam virtuti improbitatem habentibus conſtant, ad propoſitum finem directio; Id quod ab *Ariſtotele X. Nicom. c. ult.* graviſſimè docetur.

XV. Actus iniuſti quibusnam damnum inferant? Correctiones & coërcitiones actuum injuſtorum quem finem reſpiciant? Jus correctivum.

XV. Ceterùm actus injuſti, ſive omittendo debita ſive committendo prohibita conſtent, ſæpe damnum & noxam inferunt aut ſocietati, aut uni ſociorum, & interdum utrisque, præterquàm quod agens iis ipſis à naturali ſuo fine declinat, & aut infelicitatem, ſi tota felicitas ſocietati propoſita, aut abſentiam illius particularis boni, cujus gratiâ ſocietas inita, malumque ei contrarium ſibi ipſi accelerat; quô ipsô & ſocietati infertur damnum, dum aliquod ejus membrum debito fine privatur. Omnibus hiſce incommodis *obviam ire*, & *obicem ponere*, & *mederi* oportet

eos,

eos, queîs ſocietatis in finem ei propoſitum dirigendæ cura incumbit. Et ad hos fines naturali ratione ordinantur *correctiones & coërcitiones juſtæ actuum injuſtorum*, quæ ab *Ariſtotele* δικαιώματα vocantur *V. Nicom. VII. n. 18.* Jus autem quo illæ, tanquam à rectæ rationis dictamine reguntur, ἐπανορθωτικὸν, *correctivum & ad juſtum injuſti reductivum* vocemus. Conf. quæ in *Diſcurſu de Auctorit. uſuque Jur. Juſtin. c. IV. n.5.* hanc in rem diſſerui.

XVI. Juſtitiæ correctivæ officium.

XVI. Hic igitur *ultimus* veluti *exercitus actuum ad quos jus ac juſtitia pertinent*; *quod tanquam in ſubſidiis* (ubi Darius quondam pugnaciſſimas locaverat gentes) *locatum agmen obſervat*, *ac*, num *actus* virtutum moralium qui *univerſalis juſtitiæ* præceptis definiti & præcepti, num *diſtributiones* rerum diſtribui debitarum, num *commutationes* rerum in vitâ primò ac per ſe utilium Juris præſcripto conformiter fiant, & contrarii prohibitique actus declinentur, *æſtimat*; & in eos quotquot ordinem non ſervant *erumpit*, *ſequiturq́, velut à tergo rector & ultor.* Q. Curt. Hiſt. lib. III. c. 9.

XVII. Explicatio fabulæ de Nemeſi.

XVII. Gentiles Poëtæ qui ſapientiæ myſteria fabularum integumentis clauſêre, hanc Juſtitiæ partem ſignificaturi *Nemeſin* finxerunt, quam *Theætetus* appellat

Δαίμον' ὑπερφιάλοις ἀντίπαλον μερόπων.

h. e. *Dæmonem contra nimis elatos mortalium*, cujusmodi revera ſunt juris ac juſtitiæ contemtores, *pugnantem*. Nominârunt eam Νέμεσιν μὲν, ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως. Ἀδράστειαν δὲ, ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν κατὰ φύσιν. *Nemeſin quidem, quia cuique diſtribuat: Adraſteam* verò, *ut cauſam naturâ inevitabilem.* Plato in libris de legibus; *Omnibus*, ait, *præpoſita eſt Nemeſis; judicii angelus, hujuscemodi inſpector omnium.* Plerique Oceani illam & Noctis filiam ſtatuerunt; rectius autem nonnulli juſtitiæ gnatam credidêre. *Cubitum*, quod menſuræ genus eſt, & *frenum* ei aſſignârunt, tanquam inæqualitatis ad normam æqualitatis reductricem; & pœnas delicto æquales Auct. libri de Mundo Natal. Com. Mythol. 9. c. 19.

peccantibus remetientem, velut freno ab injuſtitiâ retracturam. Vnde *Alciatus* politiſſimæ eruditionis JCtus Emblemate 27. ſub lemmate: *Neque verbo neque facto quenquam lædendum*: ita canit:

Aſſequitur, *Nemeſisque* virûm veſtigia ſervat,
Continet & *cubitum*, duraque *frena* manu.
Ne malè quid facias, néve improba verba loquaris:
Et jubet in cunctis rebus adeſſe modum.

XIIX. Fabula de Nemeſi ad juſtitiæ correctivæ naturam declarandam pertinet.

XIIX. Sed hi quos citavimus per Nemeſin intellexiſſe videntur occultam aliquam vim Numinis mortalium inſolentiam ſuperbiamque caſtigantem, de quâ *Lucretius*, etſi Poëta atheus, *lib. V. Edit. Giſan. p. 187.*

Vſque adeò res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros faſces, ſævasque ſecures
Proculcare, ac ludibrio ſibi habere videtur.

Confer *Fr. Baconum de Verulam*, Sapientiæ Veterum *tit. XXIII.* Nos autem ejus nomine jam indigitamus omnem omninò juſtitiam correctivam, injuſtique ad juſtum reductivam; quæ in quâ ſocietate & quatenus locum invenit, ſpeciem repræſentat juſtitiæ divinæ nihil eorum quibus pœna debetur impunitum relinquentis.

XIX. Quas ob cauſas nonnulla delicta in foro ſoli maneant impunita?

XIX. Verûm hujus, quæ ab hominibus exercetur, juſtitiæ correctivæ hic eſt genius, hæc indoles, ut non pauca relinquat incorrecta & impunita; *quæ* ſcilicet 1. ab iis, quorum intereſt, *negliguntur*; unde ubi non eſt actor, neque judex eſt; aut 2. quæ ſunt *minutiora*, nec grave aut evidens ſocietati damnum inferunt; aut 3. quæ ſunt *inexplorata* & doceri non poſſunt. In foro enim civili tamdiu quisque præſumitur legi obtemperaſſe, donec probetur contrarium, & puniri indemnatus, damnari non convictus,

victus, nemo poteſt: aut 4. quæ vel ob *potentiam*, vel 5. ob *majeſtatem* delinquentium ab hominibus puniri non poſſunt: illi de facto, hi ipſo jure ſunt ἀνυπεύθυνοι, i. e. correctionis & coercitionis immunes. v. Grot. *de I.B. & P. lib. 1. c. III. n. 8.*

XX. Præſumtiva quædam probatio ſupremi judicii.

XX. Eſt hic notabilis juſtitiæ defectus, qui in hâc vitâ ſuppleri non poteſt; ne forte crudi homines exiſtiment, ſi in hac vitâ omnibus injuſtis quoque jus ſuum tribuatur, ſupervacaneam fore æternitatem; in quâ juſtiſſimus, & oculatiſſimus, & potentiſſimus Præſes ſupremi judicii, in quo omnes, quotquot in terris judicium ſubterfugiunt, primam eamque ultimam habent inſtantiam, nihil incorrectum relinquet. conf. Grot. *de Verit. Rel. Chr. lib. 1. §. 19. 20. 21.*

XXI. Perfecti juris quænam ſint partes integrantes? Jus directivum & correctivum; Jus correctivum duplex. Jura ordinativa & deciſoria. Acta litis, acta judicii.

XXI. Cujuslibet Juris perfecti integra declaratio tres illas poſitiones complectitur: nempe 1. explicationem tam *actionum* quæ primò ac per ſe juſtæ, quàm, quæ illis licet inferiori ſubſellio junctæ, *omiſſionum* injuſti; 2. actuum injuſtorum, qui itidem vel in *omittendo* debita, vel in *admittendo* prohibita conſiſtunt. 3. δικαιωμάτων, quæ ſunt *correctiones* & *coërcitiones* actuum injuſtorum. Sed in Syſtematibus juris juſtitiæque exercendæ ſcientiam complexis prima & ſecunda claſſes conjunctim ſolent tradi; quoniam ex iisdem principiis earum pendet cognitio: nam quisquis novit, v. c. quemadmodum juſtæ nuptiæ contrahantur, novit quoque quænam ſint injuſtæ; nempe quæ debitâ perſonarum vel quantitate, vel qualitate, vel conjunctionis ratione defectæ ſunt. *Tertiæ claſſis prius membrum*, quod inæqualitatis lucri & damni ad æqualitatem reducendæ rationem continet, partim unà cum illis prioribus, partim ſeparatim traditur in loco de *Judiciis privatis*. *Poſterius* ejusdem *membrum*, quo coërcitiones delictorum reguntur,

guntur, ſeorſim in *Jure criminali*, ſive tractatu *Publicorum judiciorum* abſolvitur. Quodlibet horum membrorum iterum videtur bipertitum, nempe complectens tùm *præparatoria & ordinativa* judiciorum, tùm *litium* & controverſiarum *deciſoria*; v. Alciat. *de Præſumpt. Reg. III. præſ. 29.* Bart. *in l. Cunctos pop. n. 14. 15. C. de S. Trin.* Inde etiam alia dicuntur *acta litis*, ea nempe quæ reſpiciunt factum principale, ut atteſtationes, confeſſiones, &c. alia *judicii acta*, quæ telam & ordinem proceſsûs reſpiciunt, ut citatio, ſatisdatio, &c. Fulv. Pacian. *de Probat. lib. 1. c. 65. n. 7.* Et *ſententia* alia eſt *de præparatione cauſæ*, alia *judicium finit*, arg. *l. 19. §. 2. ff. de recept. qui arb.* Ad poſtremam hanc juris diviſionem pertinet omnis materia *Proceſſûs*, tùm *cauſarum civilium*, tùm *criminalium*. Sed jura litium deciſoria maximam partem non ſunt alia, quàm quæ in negotiorum civilium geſtione primò debebant obſervari.

XXII. Perfectum jus & perfecta ſocietas quænam. Societatum & bonorum præſtantia unde cenſeatur? Excellere quid ſit? Quare civilis ſocietas ceteris ſit perfectior.

XXII. Perfectum autem jus appello, quod perfectæ ſocietatis dirigendæ rationem complectitur: At ſocietas perfecta quænam ſit, inſtitutâ ſocietatum inter ſe comparatione intelligitur. Λόγος συγκρίσεως, ratio ſive fundamentum inſtituendæ comparationis hoc eſto: Omnis ſocietas quo præſtantius bonum naturâ tanquam finem ſibi habet propoſitum, eò præſtantior eſt. Præſtantius autem bonum cenſetur, vel *naturali dignitate*, utpote quod ad felicitatis eſſentiam pertinet, aut ei propinquius eſt; v. c. virtus: vel cenſetur *exſuperantiâ*, eò quod includit alterum, & præter illud plura: Tale enim itidem excellit naturâ; *Excellere enim eſt habere τοσοῦτον, καὶ ἔτι, tantum, & amplius.* Ariſt. 1. Rhet. VII. n. 2. Hinc neceſſe eſt, ſocietatem cujus ſcopus eſt virtutis adeptio, naturâ præſtantiorem eſſe illâ, quæ unicè divitiarum comparandarum gratiâ conſtat; & quæ plurium virtutem ſpectat, præſtare illâ quæ pauciorum; & quæ conjunctim

ſpectat

ſpectat virtutem & opes, præſtantiorem illâ quæ alterutrum unicè intendit; quæ verò πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας, *omnigenum humanæ indigentiæ explementum*, ſive omnigenam rerum ad vitam beatamque vitam pertinentium ſufficientiam pro ſcopo habet, πάσας περιέχουσα τὰς ἄλλας, *omnes ceteras* partem aliquam felicitatis ſpectantes *ambitu ſuo complexa*, ceteris perfectior & præſtantior fuerit. Ac talis eſt Civilis ſocietas

XXIII. Societates & jura in quibus conveniant & quomodo differant?

XXIII. Eadem verò dignitatis & perfectionis incrementa habent ſocietates & jura, utpote in iisdem ac circa idem verſantia; αὔξεσθαι δὲ πέφυκεν ἅμα τῇ φιλίᾳ καὶ τὸ δίκαιον, ait *Ariſt. IIX. Nicom. c. 9.* Nam reſpiciunt ſe invicem ſocietas & jus tanquam totum & pars eſſentialis. *Societas* eſt totum aliquod ex pluribus perſonis commune aliquod officium ſpectantibus aggregatum; *Jus* verò eſt *forma* ſive *ratio* illius *aggregationis*, i. e. *ordo* per quem illa perſonarum multitudo conſiſtit, & ad unionis ſuæ permanſionem finemque ſuum obtinendum eſt diſpoſita.

XXIV. Jus civile eſſe perfectum jus. Quodnam ſit criterium juris perfecti.

XXIV. *Perfectum* itaque *Jus erit Civile jus*, quod ex Naturalibus præceptis, & Gentium, & civilibus poſitivis collectum; cujus, tanquam primariæ ſpeciei generis analogi, perfectionem ſive integrantes particulas *§. 21.* declaravimus. Ex hoc autem ceterarum ſocietatum jura haud difficulter æſtimare licebit; utrum nempe & actus primò ac per ſe juſtos exercendi & injuſtos corrigendi rationes declarando, dirigant: Quæcunque ſocietas hoc poſteriori nervo deſtituitur, inter homines plus quàm ſemi-pravos & minus quàm ſemi-probos durabilis eſſe, finisque ſui compos fieri non poteſt. Quantuscunque enim in principio & mediis, tantus & in fine defectus eſt.

XXV. Societates civili majores. Syſtemata civilium ſocietatum. Quùnam civitati conveniat magnitudinis modus.

XXV. Ceterùm dubitaverit quiſpiam, annon aut Univerſalis omnium hominum, aut, ſi qua ſit vel eſſe poſſit, plurium gentium ſocietas, perfectior ſtatuenda ſit civili, cui palmam hactenus tribuiſſe videmur? Sunt & *civilium ſocietatum ſyſtemata*, quæ haud ſanè unius provinciæ & nationis, verùm ingentis terrarum tractûs & plurium populorum unam conſtituunt Rempublicam. *Ariſtoteles* quidem *VII. Polit. IV.* ſic diſſerit: ἔςι τι καὶ πόλεσι μεγέθυς μέτρον, *eſt quidam & civitatibus magnitudinis modus*; & nonnullis elegantiſſimè additis pergit: καὶ πόλις ἡ μὲν ἐξ ὀλίγων λίαν, οὐκ αὐτάρκης. ἡ δὲ πόλις αὔταρκες. ἡ δ' ἐκ πολλῶν ἄγαν, ἐν μὲν τοῖς ἀναγκαίοις αὐτάρκης, ὥσπερ ἔθνος, ἀλλ' ὐ πόλις. πολιτείαν γὰρ ὐ ῥάδιον ὑπάρχειν. *& civitas quidem quæ nimiâ hominum paucitate conſtat, ſibi non ſufficit*, nempe ad res neceſſarias, victum, amictum, defenſionem: *civitas verò ſibi ſufficere debet. Quæ verò nimiâ hominum copiâ abundat, ad neceſſaria quidem ſibi ſufficit, ut gens, non autem civitas: haud facile enim capit Rempublicam*, h. e. ordinem poteſtatum imperantium humano conſilio & viribus contineri ac regi idoneum.

XXVI. Civilium Societatum corpora ſ. ſyſtemata eſſentiam civitatis retinent; dignitatem verò majorem obtinent quam exiguæ civitates. Cui fundamento innitatur jus præcedentiæ inter reges.

XXVI. Verùm hujuſmodi velut *gigantea civilium ſocietatum corpora*, utut propè excedant communem ac moderatam civilis ſocietatis menſuram, quatenus tamen illorum regimini propoſita eſt omnium ad vitam beatamque vitam pertinentium rerum copia, à civilis ſocietatis eſſentiâ non diſcedunt: Licet, quoniam illorum fine longè plurium mortaliũ fines continentur, excedant communem Rerumpublicarum conditionem, & gloriam præclari regiminis comitem habeant magis illuſtrem, quàm civitates minutæ. κάλλιον γὰρ καὶ θειότερον ἔθνει καὶ πόλεσιν. *pulchrius enim ac divinius eſt, genti & civitatibus auctorem ac procuratorem felicitatis eſſe; quàm civitati exiguæ, aut uni homini.* Adeò ut non omni-

Ariſt. I. Nicom. II. in fin.

omninò vana ſit ratio nona & decima *Fern. Vaſquii*, quibus in *præfatione part. 1. lib. 1. controv. illuſtr. n. 101. 126.* Hiſpaniarum Regi primum inter ceteros reges locum deberi contendit. Ait verò; *Qui bonum efficit aut operatur in plures, majore præmio dignus eſt quàm qui id in pauciores efficeret.* Et, *ſummus honor eſt in Reipubl. adminiſtratione, tantoq́ue ſublimior, quantò ea adminiſtratio & Reipubl. cura amplior & latior eſt.* Solam autem majorem approbo, minorem Vaſquio probandam relinquens. Hujuſmodi verò dignitatis eminentia cum poteſtatis eminentiâ conjuncta non eſt. Et fortè in his quoque longi temporis præſcriptione poſſeſſor gaudet, vid. Camden. *Hiſt. Eliſab. ad ann. 1600.* ubi refert JCtos uno ore pronunciaſſe; *Præcedentiam, cujus origo hominum memoriam exceſſerit, juris conſtituti loco habendam eſſe.* Hujuſmodi itaque ſocietatum jura non erunt ſpecie diverſa à Jure civili: Jura enim cum ſocietatibus quarum jura ſunt uniformem gerunt faciem. *§. 23. h. c. & c. 1. §. 7.*

XXVII. Societates mercatoriæ & bellicæ confœderationes quomodo à civili ſocietate differant.

XXVII. Quod ſi autem plures populi tantummodo commerciorum aut defenſionis gratiâ ad ſocietatem conjuncti ſint, utut numerus ſociorum non tantùm civitati, ſed & genti complendæ ſufficiat; ejuſmodi tamen conjunctionis ratio civitatem non conſtituit. οὐ μόνον ἐκ πλειόνων ἀνθρώπων ἐστὶν ἡ πόλις. ἀλλὰ καὶ ἐξ εἴδει διαφερόντων. οὐ γὰρ γίνεται πόλις ἐξ ὁμοίων. ἕτερον γὰρ συμμαχία καὶ πόλις, τὸ μὲν γὰρ τῷ ποσῷ χρήσιμον, κἂν ᾖ τὸ αὐτὸ τῷ εἴδει· βοηθείας γὰρ χάριν ἡ συμμαχία πέφυκεν, ὥσπερ ἂν εἰ σταθμὸς πλεῖον ἑλκύσῃ. Ariſt. II. Polit. I
Non tantùm ex pluribus perſonis conſtat civitas, ſed & ſpecie (virtutis & facultate) diverſis: non enim ex ſimili facultate præditis fit civitas, v. c. medico & medico, v. Nicom. c. v. n.20. *Aliud quippe eſt συμμαχία i. e. bellica ſocietas, aliud civilis: ſiquidem illa quantitate & numero hominum utilis eſt, etſi omnes eadem unicâ virtute militari polleant; auxilii enim gratiâ hæc, ad omne bellum contracta, ſocietas conſtat,* Grot. lib 2. c. 15. n. 6. de I. B & P.

 veluti

veluti libra pondere onuſta plus tractura. In quantum itaque ejusmodi multarum nationum ac populorum ſocietatis ſcopus tantùm partem humanæ felicitatis, non verò integram ac univerſam felicitatem complectitur, in tantum hæc ſocietas abeſt ab eſſentiâ ſocietatis civilis, quæ conſiſtit in ordine multitudinis hominum inſtituto ad explendam univerſam vitæ humanæ indigentiam; adeoque perfectionis ratione inferior erit civili; etſi magnitudine & viribus externis illam ſuperet.

XXIIX. Gentium Societas & jus an dentur? Quidnam proprie dicatur eſſe juris gentium? Imperfectio juris gentium.

XXIIX. Gentium, uti appellatur, ſocietas magis videtur ex libris & eruditorum ſermonibus quàm reapſe cognita eſſe. Ac ſi qua exiſtit vetuſtateque corroborata eſt aliqua inter gentes plures morum conciliatio, deque rebus agendis naturali jure indefinitarum rationum convenientia, quam Juris gentium propriè ſic dicti nomine appellari conſtat; hoc tamen jure non diſponuntur omnia ad univerſam beatitudinem pertinentia, ſed tantùm aut defenſio, aut legationes, aut fœdera &c. Et in univerſum aut ſterilis eſt, aut infinitis concertationumque plenis diſputationibus, velut ſpinis, inhorreſcit hic juris gentium campus; quô ipsô tamen floribus, quos habet, debitum honorem haud detractum imus: dummodò ſtet quod ante firmavimus, Juris ac Juſtitiæ exercendæ rationes civili jure omnium optimè definiri.

XXIX. Societas univerſalis omnium hominum; ejus ratio obſcurior: ejus directio ſoli Numini reſervata.

XXIX. Supereſt Univerſalis omnium hominum ſocietatis declaranda ratio; cujus quo minor in plerorumque animis habetur reſpectus, eò abſtruſior eſt ejus doctrina, utpote quæ itidem ſolis penè chartis inſenuit, Tullio paucisque aliis veterum gentilium Philoſophis decantata; ex animis adeò non deleta, ut nec unquam iis ſatis impreſſa fuerit: Niſi quod homines in aliis interdum agnoſcunt quid homo homini nullâ expreſsâ conventio.

ventione antegreſsâ debeat, verùm ſuæmet ipſorum conſcientiæ hujusmodi rationes rarò applicant. Videtur autem hæc univerſalis & communiſſima communio, in quâ Chriſtiani, Judæi, Turcæ, Gentiles, & quicquid os ſublime divinæque particulam auræ pectori incluſam gerit, gentesque omnes, tàm in Reſpublicas compoſitæ, quàm quæ Reipubl. exſortes, conſiſtunt, ſolius Numinis ſupremæ directioni ſubjecta. Hominis ſane vis ac potentia tantum ordinem continere non poteſt: *θείας γὰρ δὴ τοῦτο δυνάμεως ἔργον, ἥτις καὶ τόδε συνέχει τὸ πᾶν. Divinæ enim hoc potentiæ munus eſt, quæ & hoc Universum continet.* Ariſt. *VII Pol. IV.* Unde & legumlatio & juſtitiæ adminiſtratio in hâc ſocietate ſolius Numinis arbitrio patet; ſalvo tamen reſpectu poteſtatis ac ſubjectionis inter latiſſimæ hujus communionis membra, veluti parentes ac liberos, principes ac ſubditos civilium ſocietatum, intercedente.

XXX. Societas generis humani quare & in quas partes diviſa ſit? Omnes eius partes & partium principes Numini ſubordinantur. Jus naturale eſt portio juris civilis. Juris naturalis & poſitivi differentia. Jus civile utrum perfectius naturali? illius cognitio hujus cognitione facilior.

XXX. Quippe ipſo Numine inclinante hæc per terrarum Orbem diffuſa communionis latitudo expeditioris regiminis causâ in plures minutiores ordines, i. e. Reſpublicas, diſtincta eſt, unâquaque rectæ rationi congruenter ad ſuam ipſius ſalutem & univerſi generis humani tranquillitatem à ſuis Rectoribus gubernandâ; non ſecus atque exercitus ingens in plures diviſus cohortes, quarum qualibet proprii ducis imperium agnoſcere tenetur; qui tamen ſinguli à ſupremi Imperatoris, cujus hi in ordinibus regendis miniſtri ſunt, arbitrio dependent. Adeoque membra dictam univerſalem hominum communionem proximè dividentia ſunt *DEUS & homines*; horum verò in Reſpubli-

 cas

cas ac gentes Reipublicæ expertes, quæ σποράδες aut ἄπολεις Græcis audiunt, diſpeſcitur multitudo: Illæ civilia jura ac leges habent; in his

θεμιστεύει ἕκαστος
παίδων ἠδ' ἀλόχων.
Jus dat quisque ſuis
Liberis & uxoribus.

Totum verò illud humanæ ſocietatis Corpus Numinis providentiæ & imperio ſubjectum eſt, cujus gubernandi rationes homini ſæpenumerò incognitæ. Cum itaque dictæ ſocietatis ſive communionis præcipua poſt DEUM membra ſint Reſpublicæ ſeu ſocietates civiles, harum quoque jura præcipuam partem conſtituunt illius juris quo humani generis ſocietas in partibus ſuis regitur. Et quandoquidem Jus civile collectum eſt ex Naturalibus præceptis, Gentium ac Civilibus poſitivis, adeoque præter jus Naturale, (quod in *generalioribus* nec ad ſingularia præcisè determinatis orationibus ac *pronunciatis* conſiſtit;) complectitur quoque *jura perſonis, locis & temporibus accommodata*; v. Nicom. VII.n.4. poſitiva quippe jura ſunt, ὅσα δεῖ τῶν καθ' ἕκαστα νομοθετεῖν· hâc etiam ratione perfectius eſt ſolo Naturali; præterquam quod illius cognitio ob ſcripturam quâ magna ejus pars comprehenditur, facilior eſt quàm hujus, quod in conſcientiæ humanæ receſſibus abſconditum per diſcurſum intellectûs practici haud rarò ſuis pariter ac vicinis appetitûs vitiis cœcum, inde in lucem protrahendum.

XXXI. Quænam actuum vel officiorum genera jure civili definiantur ac determinentur.

XXXI. Civilia autem ſive ad civilis ſocietatis ejusque partium ſtatum pertinentia jura, ad quæ velut ex diverticulo redimus, non tantùm continent definitiones officiorum quæ Supra h. c. §. 8. quamque ſocietatem & conſociationem, ſive continuam ſive momentaneam, conſtitutam ſequuntur, ſed & quæ ad quamque

tùm

tùm ineundam, tùm relinquendam pertinent: adeoque ordinant cujusque in ſocietatem *ingreſſum*, in eâ *progreſſum*, & ex eâ *egreſſum*; ſive, ut ab aliis frequentatos uſurpem terminos, cujusque ſocietatis *conſtitutionem* & *conſecutionem*, quæ tùm *effectum*, tùm aliquando inſequentem *defectum* complectitur. Sic v. c. paternam ſocietatem definiunt, quibus modis ea conſtituatur, quænam conſtitutæ conſequentia, primùm quæ in effectu aliquo conſiſtunt; ſc. jus ac officium imperii paterni, & obligatio liberorum; dein quæ illius ſocietatis defectum ſive exitum continent; nempe, quibus modis ea diſſolvatur. In ceterarum doctrinâ eadem eſt methodus.

XXXII. Quænam ſit JCtorum propria juris & facti cognitio? Quænam ſint circumſtantiæ actionum humanarum.

XXXII. Sunt & ſinguli *actus*, ſive ad conſtituendam, ſive ad implendam promanantem ex conſtitutâ ſocietate obligationem, ſive ad diſſolvendam eam proximè referantur, naturâ ſic comparati, ut *Juris* de iis conſtituti *præſcripto & conformari* poſſint, *& ab eo declinare:* Fluunt enim ex appetitu, *principio verſatili*, ſive quod eſt *ἐυμετάβολον*, nî habitu jam ſit inveſtitum. Et illius reſpectu jus civile ordinat *conſequentia actuum utrolibet modo geſtorum*, ut tùm debito modo exerciti intentionem ſuam obtineant, tùm illiciti ad eam quam deſpexêre rectitudinem reducantur. Ac in ſingulis his noviſſe, τὸ quis, quid, circa quid, & quale, & quantum, & ubi, & quando, & cur, & quibus auxiliis, & quomodo, & quo eventu, tanti eſt muneris quanti JCtum eſſe.

CAPUT IV.

Quemadmodum doctrinâ morali de Iuſtitiâ tùm civilis ſocietatis conſtituendæ, tùm condendi ac interpretandi Iuris civilis principia contineantur.

S.I.Ci.

S. I.

Civile jus non determinat rationem civilis ſocietatis ab initio conſtituendæ. Status civitatis eſt quodammodo cauſa conſtituendi juris civilis. Civilia jura quando cœperint.

Civili jure ipſius civilis ſocietatis ab initio conſtituendæ ratio non videtur contineri: πρὸς γὰρ τὰς πολιτείας τοὺς νόμους δεῖ τίθεσθαι. *Leges enim oportet Rebuspublicis accommodari*; ac ſtatus civitatis jam conſtitutus videtur tùm ſupponi tanquam id ad cujus conſervationem jus civile ordinatur naturâ, tùm eſſe cauſa conſtituendi juris civilis: Nec niſi unicum Reipubl. Ebrææ habemus exemplum, ubi juris civilis deſcriptio prior extitiſſe cenſeri poſſit Republ. conſtitutâ. Potius autem ſimul eſſe videntur civitas & jus civile, quatenus hoc eſt κοινωνίας πολιτικῆς τάξις, ordo per quem multitudo hominum ac rerum partim inſtructa partim idonea parandis iis quæ ad explendam vitæ indigentiam beateque vivendum pertinent, & conſiſtit, & permanſionem ſuam finemque propoſitum obtinere debet. Ἁπλῶς ἅμα, ὧν ἡ γένεσις ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ. *Simpliciter ſimul ſunt, quorum ortus eſt eodem tempore.* Jam verò *Naturalia jura tunc eſſe cœperunt, cum & civitates condi, & Magiſtratus creari, & leges ſcribi cœperunt.* §.11. I. de R.D.

[margin: Arist. Polit. 1.]

[margin: Ariſt. Categor. c. XIII. n. fin.]

II. Civilis ſocietatis conſtituendæ ratio naturali jure continetur. Ex iiſdem principiis civitatis conſtitutio & adminiſtratio fluere debet. Civitatis gubernatio operoſior eſt primâ ejus conſtitutione.

II. Sed Naturali jure quodammodo definita eſt civilis ſocietatis ab initio conſtituendæ ratio, quam ex eo jure, quo tùm univerſalis tùm particularis juſtitiæ actus reguntur, cognoſcere licet. Ac, ſi rem exactè perpendimus, eædem ſunt Reip. & rectè ab initio conſtituendæ, & conſtitutæ ſalubriter adminiſtrandæ rationes. Qui inſtituit civitatem, conjungit ac diſponit multitudinem hominum ad explendam vitæ indigentiam felicitatemque

que capeſſendam ac tuendam; Quisquis inſtituentis voto & deſtinationi congruenter eam gubernat, is procurat illius conjunctionis ac diſpoſitionis, quatenus ea reformationis haud indiga, permanſionem. Obtinet hîc idem quod de morali virtute Ariſtoteles pronunciat: *ἐξ ὧν γίνεται, ὑπὸ τούτων καὶ αὔξεται, καὶ φθείρεται, μὴ ὡσαύτως γινομένων: ex quibus oritur ex iisdem & augetur, &* II. Nicom.
corrumpitur, non eodem modo factis. Civitatum autem, perinde ut III.
hominum corpora majorem videntur curam deſiderare ut orta conſerventur, quàm ut oriantur: Quippe ortum ſæpè procurat naturalis inſtinctus & impetus quidam, qualecunque demum ſit productum; at cura quâ res productæ conſervantur, longe operoſiſſima eſt, in iis præcipuè quæ naturalem habent potentiam ſuſcipiendorum omittendorumque actuum fini ſuo & congruentium & repugnantium; ut homo, civitas.

III. Reſpublica quanto deterior, tanto ejus adminiſtratio operoſior. Quarum rerum ratio habenda ſit in rectâ civitatis productione?

III. Cùm ad cujusque tùm & ad civilis ſtatûs permanſionem obtinendam plurimùm intereſt, quemadmodum is ab initio conſtituatur. Quæcunque civitas quàm fieri potuit optimè ab initio fuit conſtituta, ea pauciore ad ſui conſervationem indiget curâ, quàm quæ velut congenita habet vitia. *v. VI. Polit. Ariſt. c. VI.* In rectâ civitatis productione primum eſt, *τὴν οἰκείαν ὕλην ἐπιτηδείως ἔχειν: materiæ civitati domeſticæ quantitatem ac qualitatem* VII. Polit.
debitam adeſſe: Secundum eſt, *ἐν τῷ τὸν σκοπὸν κεῖσθαι, καὶ τὸ τέλος* IV.
τῶν πράξεων ὀρθῶς. Si ſcopus ac finis actionum rectè ſit poſitus. Ter- d. l. c. XIII.
tium, *τὰς πρὸς τὸ τέλος φερούσας πράξεις ἐνρίσκειν, actiones fini obti-* l. c.
nendo congruas invenire. Hùc ſpectat *Ordo ac modus agendorum omittendorumque.* Ac habet non tantùm natura Univerſi, ſed & civilis ſocietatis *ἐν τῇ τάξει τὸ εὖ*, primum ſuæ bonitatis ac perfectionis gradum *in ordine*, ſc. & ad populi indolem & ſcopum civitatis rectè compoſito. Ac talis ordo & ab initio in civilem mul- Ariſt. XII. Metaph. c. 10. pr.

 titudinem

titudinem introducendus, & in eâ per omnem vitam conſervandus eſt; quippe & rerum ſufficientiam & felicitatem expetimus per omnem vitam.

IV. Quodnam ſit munus juſtitiæ univerſalis circa civilem ſocietatem? Duo principia actionum humanarum facultas ac voluntas. Recte factorum cauſa ſunt facultas & voluntas recte faciendi. Quotuplex in hominibus ſit defectus recte agendi? Homo directione indiget.

IV. Finem civitatis verum eligere, & populi rerumque ſufficientem copiam procurare docet Juſtitia Univerſalis, & Jus quod ad eam pertinet. *ἕνα μὲν τρόπον δίκαια λέγομεν τὰ ποιητικὰ καὶ φυλακτικὰ τῆς εὐδαιμονίας, καὶ τῶν μορίων αὐτῆς τῇ πολιτικῇ κοινωνίᾳ. Uno modo juſta dicimus efficientia & conſervantia felicitatis ejusque partium civili ſocietati.* Cum felicitas civilis ſit actio civitatis virtute perfectâ rerumque ſufficientiâ inſtructæ, ad hæc duo quantum fieri poterit connitendum eſt, & ad hunc ſcopum dirigendæ actiones. Ad omnem verò actum humanum requiritur *Facultas & voluntas*; omnisque homo quicquid poteſt ac vult agit, & quando, & ubi, & quemadmodum poteſt ac vult. Et ad actiones debito modo producendas primò neceſſe eſt cognoſcere *modum* actionis *debitum*; dein eundem eligere, ac fugere indebitum. Ceterùm res ipſa loquitur, in quâlibet civili multitudine complures nec ſcire, nec velle, tùm agere agi, tùm omittere non agi debita: ejuſmodi verò ſunt quæ dicto jure continentur, quod quicquid non permittit, vetat. Ac alii rectè agendi defectu laborant vitio ætatis, ut infantes, alii fortunæ quadam calamitate, ut quos ſanæ mentis uſus deſtituit, aut morbus corporis detinet; alii vitio educationis, ut qui vel rudes vel male morati: Interim naturæ conſentaneum eſt, ut unusquisque ad corporis ſui animæque conſervationem &, quantam capit, perfectionem ducatur ab alio, ſi ſeipſum ducere aut nolit, aut non poſſit, §. *6. I. de Atil. tut.*

V. Quod-

V. Quodnam ſit munus juſtitiæ diſtributivæ circa civilem ſocietatem? Status civitatis & jus publicum ex juſtitiæ diſtributivæ præceptis conformatur. Honorum nomine quidnam in Jure civili denotetur. Præmium & honor quomodo differant.

V. Hinc jam ad civitatis ordinem tùm capeſſendum tùm retinendum porrò neceſſaria eſt *recta diſpoſitio facultatis activæ eorum quæ ad civitatis ac ſingulorum ſalutem pertinent*; Intelligo imperandi & obtemperandi ordinem, ac *diſtributionem poteſtatum, officiorumque civilis ſocietatis & ejus partium ſalutem procurantium*; cujus rationem veram continet Jus quod Juſtitiæ diſtributivæ reſpondet, quo & *Honorum*, (ita Jus Romanum appellat facultatem adminiſtrandæ Reipubl. cum titulo dignitatis conjunctam, *l. 14. pr. ff. de mun. & hon.*) & *Munerum civilium* (ita eodem Jure vocantur onera civitati communia quæ ad ejus ſalutem ſubeunda, tùm *patrimoniorum*, tùm *mixta*, l. fin. ff. eod.) naturalis ordo, & *immunitatum, ac præmiorum* diſtribuendorum ratio definitur. Ipſa quoque aſſignatio & conceſſio tùm honoris ſive poteſtatis gerendæ Reipubl., tùm immunitatis ab oneribus civilibus præmii vicem ſubire poteſt; at non ſemper ſubit: Præmium enim ſupponit meritum jam præſtitum; at illa conceduntur ſæpenumerò non tàm reſpectu meriti antegreſſi, quàm ſpe ſecuturi. τιμῶνται δικαίως μὲν καὶ μάλιστα οἱ εὐεργετηκότες, οὐ μὴν ἀλλὰ τιμᾶται καὶ ὁ δυνάμενος εὐεργετεῖν. *Honorantur juſtè quidem & maximè, qui beneficia contulére; veruntamen & honoratur qui poteſt benefacere.* Honor confertur digno, præmium benè merito. Ariſt. 1. Rhet. v. n. 23.

VI. Quodnam ſit munus juſtitiæ commutativæ circa civilem ſocietatem? Obligationum contrahendarum, diſtrahendarum ac dirigendarum ratio ad juſtitiam commutativam pertinet.

VI. Ad ποιητικὰ καὶ φυλακτικὰ, i. e. *efficientia & conſervantia* felicitatis civili ſocietati non ſufficit præſtò eſſe perſonas &

 res

res ad omnis generis negotia civitati neceſſaria, utilia, & honeſta idoneas; ſed univerſis quoque, & per conſequens ſingulis (hi enim in ſummam collecti & congregati faciunt univerſos, & *univerſi non poſſunt niſi ex ſingulis quibusque conſtare*;) conſtituendus eſt civitatis ſingulorumque ſaluti parandæ ac tuendæ congruus *negotiorum* ad indigentiam explendam *contrahendorum* ac *diſtrahendorum*, quæque in iis eveniunt *iniquitatum corrigendarum* modus; cujus definitionem complectitur Jus quod juſtitiæ commutativæ congruit, & ab Ariſtotele τὸ ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτικὸν vocatur.

v. Nicom. 1. 4.

VII. Diſtributio & aſſignatio honorum civilium poteſtatum, magiſtratuum, quam contineat conventionem? Onerum civilium impoſitio ex quâ conventione deſcendat. Ex delicto duplex naſcitur obligatio.

VII. Hûc pertinere videtur totus in Jure civili locus de *acquiſitionibus derivativis* rerum privatarum inprimis; Nam *publica jura*, v. c. Magiſtratuum, Senatorum, Judicum, &c., *diſtributionibus* quas τὸ διανεμητικὸν δίκαιον regit, videntur acquiri: Tametſi & hujusmodi acquiſitionibus ſubeſt conventio ſi non expreſsè, ſaltim tacitè cum diſtribuente inita, cui is qui poteſtatem officii accipit obſtringitur ad cuſtodiendos fines conceſſi honoris & officii. *Si quis certâ conditione muneribus vel honoribus ſe adſtrinxerunt, cum aliàs compelli non poſſent inviti ſuſcipere iſtum honorem, fides eis ſervanda eſt conditioque, quâ ſe ad munera ſive honores applicari paſſi ſunt.* l. 2. pr. ff. *de Jure immunit.* Apud Rom. quoque Magiſtratus *Rempubl. ſalvam fore* promittere tenebantur, *v. l. 1. pr. ff. de Magiſtrat. conv.* Dum verò certum determinatumque officium uni committitur, aliis eò ipsô innectitur obligatio abſtinendi ſe illo munere cujus poteſtas & curatio illi demandata: *Abſurdum eſt namque*, ait Imp. in l. 23, C. de teſtam. *ſi promiſcuis actibus rerum turbentur officia, & alii creditum alius ſubtrahat.* Scilicet illa determinatione ac diſtributione officiorum regendæ Reipubl.

Reipubl. poteſtas regiminis velut propria efficitur illorum quibus ea datur; *v. l. 1. §. 1. l. 4. pr. ff. de offic. ej. cui mandata eſt jurid.* Ipſa quoque impoſitio onerum civilium ſubditos obligat; qui in ipſâ ſubjectione primùm factâ & homagio plerumque confirmatâ cum principibus ſuis convenire intelliguntur de dando ac faciendo idquod ab iis imperatur. Adeoque tùm ſtatim *cedit* obligationis implendæ *dies*, *ventura* quandocunque Princeps voluerit: Et voluntas illa Conſtitutionibus, Edictis ac Mandatis declaratur. Jam olim *Pedius* judice *Vlpiano* eleganter dixit; nullam eſſe obligationem quæ non habeat in ſe conventionem, *l. 1. §. 3. ff. de pact.* Ex omni porrò voluntariâ juris transgreſſione naſcitur ipſo jure conſtituta ſæpè multiplex obligatio, nempe & ſarciendi damni, & læſæ auctoritatis, debitam ſubeundo pœnam, redintegrandæ; niſi fortè unius obligationis ambitu ea tanquam capitula contineri ſtatuere velimus. l. 213. ff. de V. S.

IIX. Quomodo & à privatis & à publicis perſonis fiant legum ac juris transgreſſiones? Jus correctivum in naturali ratione fundatum.

IIX. Contingunt autem in civili ſocietate transgreſſiones tùm illius juris quod ad univerſalem, tùm quod ad particularem juſtitiam pertinet; nec tantùm à privatis hominibus cum legibus poſitis non obſequuntur; ſed & à publicis perſonis, cum quibus accepêre legibus principatum ac regimen non gerunt. Et quoniam juſta ſunt tùm efficientia, tùm conſervantia felicitatis civitati; injuſtum profectò fuerit ſtatum civitatis *ad capeſſendam* quam capere poteſt *felicitatem* tùm ab initio non *conformare*, tùm malè formatum non *reformare*, tùm ſat benè, ut potuit, conſtitutum non *gubernare*. Adeoque in civitate jus violari poteſt propemodum antequam juſti injuſtique ordo, poſitis ſcilicet legibus, definiatur. Immutabili autem iſti, quod divinâ quâdam providentiâ conſtitutum, juri non videtur fieri ſatisfactio, nî omne injuſtum, omne iniquum quatenus fieri

 poteſt

poteſt corrigatur: unde jus ἐπανορθωτικὸν ſive *correctivum* naturâ ſuâ tùm ad actuum contra ceterarum virtutum moralium præcepta, quæ juſtitiæ univerſali incluſa, geſtorum, tùm ad iniquarum & diſtributionum & commutationum correctionem dirigendam pertinet; etſi in rebus humanis, ex cauſis quas ſuperiori capite declaravimus, cujuslibet actûs injuſti correctio non ſuſcipitur.

IX. Jus correctivum ad quam juſtitiæ partem pertineat? Juri correctivo ſubjecti ſunt actus injuſtitiæ univerſalis, diſtributivæ, & commutativæ. Iniquarum diſtributionum conſequentia, & correctio, & cauſa. Iniquæ diſtributionis correctio quandoque facilis, quandoque difficilis. Scopus juri correctivo propoſitus, æqualitas.

IX. An verò cuilibet juris ſpeciei, ut vocantur, nempe primùm illi quod univerſali, in quantum ea particulari contradiſtinguitur, dein quod diſtributivæ ac commutativæ juſtitiæ reſpondet, ſua propriaque ſit juris correctivi pars; aut an omnis cujuſcunque injuſti actûs corrigendi ratio ad juſtitiam commutativam pertineat, definitu quàm maxime arduum videtur; non tantùm quoniam antiqua Philoſophia hìc nos quodammodo deſtituit, ſed & quod ferè recentiorum quisque, quo plus ingenio ſuo fidit, ad vetera antiquanda novaque ex proprio ingenio dogmata exſtruenda proclivis deprehenditur; cum tamen concluſiones ab antiquis rectè demonſtratas unà cum rationibus quibus nituntur aſſumere potius oporteat & ad veritatem in ignotis & hactenus obſcuris eruendam producere, quàm omnem vetuſtatis induſtriam unâ velut liturâ deletum ire. Ariſtoteles ad jus correctivum, quod juris commutationum directivi alteram partem conſtituit, ſat manifeſtè refert actus injuſtitiæ univerſalis tanquam corrigendos: (ſunt verò illi qui, cum injuſti ſint,
v. Nicom. II. 7 8. ſub propriam quandam vitii ſpeciem reducuntur) v. c. *adulterium*, quod ad intemperantiam, *rapinam* quæ ad illiberalitatem, *convicium* quod ad iracundiam, *ludibrium* quod ad urbanitatis

oppoſi-

oppoſitum pertinet; *v. lib. V. Nicom. c. 1. §. 31. & lib. IV. c. 1. & IIX*, Sed & quando diſtributio fit παρὰ τὸ ἀνάλογον, *i. e. inæqualiter* præter dignitatem, *honorum* quidem ubi indignus digniori anteponitur, hic ſanè haud levi contemtu afficitur; & *onerum* itidem, ubi facultatibus inæquales paribus, aut æquales imparibus premuntur; hoc caſu revera contingit lucri damnique *inæqualitas*; & ex utrâque iniquitate *animorum exulceratio*, primùm *querelas*, poſt, ubi numerus indigna patientium creſcit, repertis auctoribus *ſeditiones* in civitate motura, nî in tempore malum conſopiatur. vide *Ariſt. V. Polit. c. I. II. III.* πανταχοῦ διὰ τὸ ἄνισον ἡ στάσις. *Vbique propter inæqualitatem ſeditio*, ὅταν μὴ κατὰ τὴν ὑπόληψιν ἣν τυγχάνουσιν ἔχοντες, μετέχωσι τῆς πολιτείας, *cum non pro opinione ſuâ, quam de juſto & æquo ſibi debito fovent, in Republ. tractantur.* At hujus inæqualitatis ad æqualitatem reductio fortè paulò aliter ſe habet quàm ubi conventionum & delictorum, quibus privatus privato nocet, inæqualitas peræquatur; quippe ὅταν ἀμφισβητῶσιν, ἐπὶ τὸν δικαστὴν καταφεύγουσι, καὶ ζητοῦσι δικαστὴν μέσον, ὁ δὲ δικαστὴς ἐπανισοῖ, *controverſantes ad judicem confugiunt, & judicem quærunt medium; Judex verò ad æqualitatem reducit.* At in diſtributionibus iniquis honorum onerumve civilium auctores iniquitatis ſunt illi ipſi qui Rempubl. gubernant. οὐ γὰρ ᾧ τὸ ἄδικον ὑπάρχει, ἀδικεῖ· ἀλλ' ᾧ τὸ ἑκόντα τοῦτο ποιεῖν. τοῦτο δ' ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς πράξεως, ἥ ἐστιν ἐν τῷ διανέμοντι, ἀλλ' οὐκ ἐν τῷ λαμβάνοντι. *Non enim qui (ex diſtributione) iniquum habet injuriâ afficit; ſed cui ineſt ſponte id agere; hoc verò (ei ineſt) unde principium actionis, quod eſt in diſtribuente, non autem in accipiente;* niſi fortaſſis ex accidente, ubi aut *gratia* ex cognatione, muneribus oblatis acceptiſque, (*nam munus eſt donum cum causâ, l. 194. ff. de V. S.*) aliâve affectione privatâ; aut *odio* inimicitiiſque pariter privatis plus quam par eſt relinquitur: *Inclinant* ſanè iſta omnia, velut *aſtra*, *non neceſſitant.* γελοῖον δὴ τὸ αἰτιᾶσθαι τὰ ἐκτὸς, ἀλλὰ μὴ αὐτὸν εὐθήρατον ὄντα ὑπὸ τῶν τοιούτων. *III. Nicom. 1. Ridiculum ſane fuerit externa accuſare, & non*

v. Nicom. IV. 19. 22. 24.

v. Nicom. IX. 35.

ſeipſum

ſeipſum talibus ſuperandis inferiorem. Sed illud locum in eo habet qui
v. Nicom. διανεμητικὸς ἑτέρῳ πρὸς ἕτερον, *diſtribuit alii & alii;* non in eo qui
v. 56. diſtribuit αὑτῷ πρὸς ἄλλον, *ſibi & aliis;* hic enim, ſi ſibi præter dignitatem tribuat plus rei expetendæ, damnoſæ minus, iniquum habet iniquus ipſe; ſin verò præter dignitatem minus commodi, plus oneris ſciens & lubens recipiat, μέτριος, *modeſtus* vocatur. *V. Nicom. IX. 29.* Sed cum ſumma poteſtas aut per ſe aut auctoritate ſuâ per alios iniquas facit diſtributiones, ejusmodi iniquitatis corrigendæ gratiâ judex, utpote quem in terris haud agnoſcit, adiri non poteſt: quanquam ubi leges fundamentales adſunt, κρίσις τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀδίκου, *diſceptatio juſti & injuſti,* hujusque correctio locum habet; niſi omnes, aut potentiores ex iis qui ſummæ Reipubl. participes, ſint iniquitatis architecti. Hûc ſpectabat Ephoratus Lacedæmone, de quo *Ariſtot. II. Polit. c. VII.* δόξειε δ' ἂν ἡ τῶν ἐφόρων ἀρχὴ πάσας εὐθύνειν τὰς ἀρχάς. *videatur verò ad Ephororum officium pertinere omnium magiſtratum cenſuram exercere, in eorum acta inquirere, & correctionis indiga corrigere;* hoc enim fuit vel judicium, vel imperium εὐθυντικόν. *IV. Polit. XVII. lib. VI. c. fin.* Et *lib. II. c. VII.* ait de Ephoris; δημαγωγεῖν αὐτοὺς ἠναγκάζοντο καὶ οἱ βασιλεῖς, *ipſi quoque reges cogebantur Ephoros aſſentatione demulcere, eorumque favorem captare.* Verùm hac ratione vel Ephororum errata manebant incorrecta: ut *Juvenalis* non immeritò, quanquam in alio negotio, quæſiverit;

Sed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes?

Nempe ridiculum eſt, ait Plato III. de Republ. *cuſtode indigere cuſtodem.* At quùm inferiores in civitate poteſtates iniquè diſtribuunt res diſtribui debitas, hic jam ſi ipſi iniquitatis auctores nolint acta corrigere, ſupremus in civitate æqualitatis diſpenſator & tutor verum ejus modum reducere cum effectu poteſt. Quæ autem ſit tùm in diſtributionibus tùm in commutationibus iniquis

æqua-

æqualitatis reducendæ ratio, ante forſan definiri non poteſt, quàm æqualitatis in iisdem ab initio inveniendæ tenor perſpectus ſit. Hic ſcilicet eſt ſcopus ad quem quisquis rectà contendere neglexit, velut per obliquum reducitur; ut ſi non πρότερον, *prius*, ſaltim ὕστερον, *poſterius* τὸ ἴσον, *æqualitas* ſocietatis tutrix habeatur. Sed hujus rationem pauló poſt declarabimus. v. Nicom. iv. in fin.

X. Juris correctivi duplex officium. Deſcriptio pœna. Locus de pœnarum irrogatione ad quam juſtitiæ ſpeciem pertineat? Quinam juſtus ſit puniendi modus? Diſcrimen actuum juſtitiæ univerſalis & particularis. In coërcitione delictorum duo ſpectantur actus. Talio ſimplex & analogica. Salutis publicæ ratio habetur tam in delictis puniendis quam in conventionum privatarum directione. Duplex artium ac diſciplinarum tractandarum ratio, altera theoriæ, altera praxi accommodata.

X. Ceterùm quoniam Juris correctivi duæ ſunt partes, una de quâ jam diximus *damni redintegratio*, ſive hoc ex actu injuſtitiæ univerſalis, v. c. avaritiâ, iracundiâ &c. ſive ex iniquâ diſtributione aut commutatione deſcendat; altera *delicti coërcitio*, quo nomine JCti *l. 131. §. 1. ff. de V. S.* pœnam appellant; de duabus hiſce conjunctim, aut ſi prior jam quadamtenus ordinata eſt, de poſterioris congruo in morali doctrinâ loco quærendum: Indecorum enim forſan fuerit hoc in rebus humanis maxime neceſſarium argumentum tantummodo incidenter in Ethicis, quatenus illius tractatio ad eam pertinet, declarare, aut tanquam ἄτακτον inter *extravagantia* reponere; quod tamen facere videntur eruditorum nonnulli; dum alii *locum de pœnarum irrogatione* ad Juſtitiam univerſalem, alii ad hanc, alii ad illam particularis Juſtitiæ ſpeciem referunt, & aliorum ſententiis improbatis ſuas tamen vix probabiles reddunt. Ad unam ex dictis Juſtitiæ ſive ſpeciebus ſive partibus eum pertinere certum eſt: Non autem videtur pertinere ad Juſtitiam univerſalem, quatenus ea particulari con-

tradiſtinguitur: in ejus enim complexu, remotâ particulari, ſtant ſoli actus virtutum moralium, quæ propriam quoque virtutis ſpeciem conſtituunt; v. c. fortitudinis, temperantiæ, &c. at pœnæ irrogatio ex nullo illorum habituum fluit, utut & ad prohibitionem habituum illis oppoſitorum ordinetur. Præterea actûs coërcitionis rectitudo conſiſtit in *æqualitate inter pœnam & delictum*; atq; in civili ſocietate hæc æqualitas ad ſalutem conſervationemq; Reipubl. ordinatur, ad quam actus juſtitiæ univerſalis proximè ac immediatè ordinantur, nullâ propriè dictæ æqualitatis ratione habitâ. Jam verò τὸ ἴσον δίκαιον, jus quod in æqualitate conſiſtit aut eſt diſtributivum, aut commutativum. Quare horum alterutro pœnarum irrogatio ſive delictorum coërcitio regitur. Quod ſi autem in pœnarum inflictione ſeparamus duos actus, alterum nempe, *exæquationem delicti & pœnæ*, in quâ inter alia & dignitas delinquentis ob delictum puniendi attenditur, *v. Grot. de J. B. lib. 2. c. 20.* §. *33.*; alterum verò *pœnæ delicto proportionatæ & adæquatæ irrogationem*, ut ſit ἀντιπεπονθὸς ὅταν ἰσασθῇ, *par pari relatum, quando exæquatio antegreſſa, v. d. c. V. lib. V. Nic. n. 16. & 31.*; nihil prohibet ad Juſtitiam commutativam eandem referre, quæ τῷ ἀντιποιεῖν ἀνάλογον, *par pari æqualiter referendo* munus ſuum abſolvit; & in conventionum quoque exæquatione *talionem analogicam*, ut vocatur, adhibet, τὸ ἀντιπεπονθὸς κατ' ἀναλογίαν, καὶ μὴ κατ' ἰσότητα. d. c. n. *7.* Quod in nonnullorum delictorum coërcitione *ſimplex talio* adhibetur, rarum eſt & maximè ad terrorem compoſitum; v. Novell. *142. pr. & c. 1.* it. Dn. Uffelmann. *de Jure talion.*; nec propterea mutatur ſpecies actûs, ut minus ad commutativum jus pertineat, ſed eidem, etiam communi opinione, magis ſit domeſticus. Quod autem ſalutis publicæ reſpectus habetur in delictis puniendis, hoc ad magnitudinem delicti, cui par pœna opponenda, inveniendam pertinet. Et in conventionum privatarum directione ultimò reſpicitur ad ſalutem publicam, utpote quæ, ſingulis ob iniquitatem incorrectam di- labentibus

Grot. de I. B. lib. 2. c. 20. n. 2.

laben-

labentibus, fruſtra ſperatur. Singulos, quæ circa præſens argumentum moveri poſſunt, ſubtilitatum nodos ſolvere aggredi aliènum eſt ab inſtituto Juris civilis interpretandi ſcientiam affectantis, inque eâ quaſi tabernaculum vitæ ſuæ collocantis. Præclarè ait *Tullius III.* de Oratore: *Omnes artes aliter ab iis tractantur qui eas ad uſum transferunt; aliter ab iis qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil in vitâ ſunt aliud acturi.* — Et paulo poſt: *Iſta* (ſc. quæ ad uſum pertinent) *diſcuntur facile, & ſi tantum ſumas quantum opus ſit, & habeas qui docere fideliter poſſit, & ſcias (velisque) etiam ipſe diſcere. Sed ſi totâ vitâ nihil velis aliud agere, ipſa tractatio & quæſtio quotidiè ex ſe gignit aliquid quod cum deſidioſâ delectatione veſtiges. Ita fit ut agitatione rerum ſit infinita cognitio; facilis uſus doctrinam confirmet; &c.* Hæc, qui multa ſapienter dixit, Cicero,

XI. Juſtitiæ particularis objectum & forma. Quid ſit æqualitas, quænam æqualia? quid inæqualitas? Quid exæquatio ſit, & quemadmodum inſtituenda? Quid ſit menſura, & quæ cuiq; rerum generi menſura congruat? Quæ ſit ratio exæquationis in juſtitia diſtributiva.

XI. Objectum juſtitiæ particularis ſunt diſtributiones rerum civitatis communium ac diſtribui debitarum, (nonnullæ enim publicæ aut communes civitatum, privatorum uſibus deſerviunt, jure ſcilicet civitatis, non quaſi propriæ cujusque. *l.2. §.2.ff. Ne quid in loco publ.*) & commutationes obligatoriæ, quæ in *ἀντιμεταδόσει*, i.e. mutuâ datione aut præſtatione, ſeu datione unius & receptione alterius conſiſtunt, ut cap. antecedenti oſtenſum, & infra clarius pateſcet. Forma horum actuum ſub quâ, aut modus intra quem conſiſtentes recti & juſti ſunt, eſt *æqualitas*; hæc eſt *duarum magnitudinum identitas*: Æqualia enim ſunt quorum eadem eſt quantitas. Igitur, cum inæqualia ſint quorum quantitàs diverſa, *inæqualitas* erit *duarum magnitudinum diverſitas*, quæ in diſtributionibus & commutationibus multùm

iniquis ſat manifeſta eſt. Quæ æqualia non ſunt, debent tamen eſſe æqualia, neceſſe eſt ut exæquentur; & *exæquatio* videtur *duarum magnitudinum* eſſe *identificatio*; hæc verò fit *æſtimatione* utriusque, & *comparatione* unius ad alteram, & *menſuratione* exceſsûs ac defectûs; quorum diſtantiâ inventâ magnitudini minori *addendum*, aut majori *detrahendum*, donec utrinque ſit eadem quantitas. Sic, v. c., cum duo cives facultatibus & dignitate æquales inæqualia ſuſtinent onera civilia, qui plus habet oneris, tantum ſibi detrahi poſtulabit ut alteri ſit æqualis; aut illius, quâ alterum excellit, partis ſemiſſem ei imponi. Illa verò comparatio & menſuratio fit *applicando* & *conferendo res ad communem* aliquam *menſuram*, unde conſtet quot gradibus vel momentis quantitas unius ſuperet quantitatem alterius; & quoties hanc oporteat ſumere ut illam adæquet. Μέτρον ἐστὶν ᾧ τὸ ποσὸν γινώσκεται, —— καὶ τὸ μέτρον ἑκάστου ἕν. —— ἀεὶ δὲ συγγενὲς τὸ μέτρον: μεγεθῶν μὲν γὰρ μέγεθος, καὶ καθ' ἕκαστον, μήκους μῆκος, πλάτους πλάτος, &c. *Menſura eſt quo quantum cognoſcitur; & cujusque menſura eſt unum aliquod: ſemper verò congener eſt menſura: magnitudinum quidem magnitudo, & in ſingulis ſpeciebus, longitudinis longitudo, latitudinis latitudo,* &c. Ita Ariſtoteles *X. Metaph. 1.* ubi hæc interſerit: ἐντεῦθεν καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις λέγεται μέτρον, ᾧ πρώτῳ τὸ ἕκαστον γινώσκεται. *Inde & in aliis dicitur menſura, quo primo unumquodque cognoſcitur.* Sic perfectiſſimum in unoquoque genere eſt menſura & index perfectionis ac imperfectionis ceterorum, ſemperque perfectius eſt quod perfectiſſimo propinquius. Sed illa in genere ſuo communia ſunt Juſtitiæ diſtributivæ & commutativæ; atque ex Matheſi ad harum formalem rationem declarandam arceſſuntur: Verùm τὸ μέτρον καὶ λόγος συγκρίσεως ἕτερος, *menſura & comparationis ratio alia eſt atque alia.* Nam in exæquatione diſtribuendorum habetur ratio qualitatis & æqualitatis perſonarum ac rerum, καὶ ἡ αὐτὴ ἔσται ἰσότης, οἷς, καὶ ἐν οἷς. ὡς γὰρ ἐκεῖνα ἔχει τὰ ἐν οἷς, οὕτω κἀκεῖνα ἔχει· εἰ γὰρ μὴ ἴσοι, οὐκ ἴσα ἕξουσιν.

Eadem-

Eademque erit æqualitas quibus, i. e. perſonis, *& in quibus* i. e. rebus: *Sicut enim ſe habent illa in quibus, ſic & hæc: quippe ſi non æquales neque æqualia habebunt. V. Nicom. III. n. 10. 11. 12.*

XII. Quænam tenenda ſit ratio exæquationis in juſtitia commutativa? Gratiæ relatio, beneficiorum remuneratio ad Juſtit. commutativam pertinet. Perſonarum reſpectus habetur & in actibus juſtitiæ commutativæ dirigendis. 1. in beneficiorum æſtimatione, 2. debitorum exactione, 3. delictorum, & 4. rerum commutandarum æſtimatione, & 5. juſti precii conſtitutione. Precium ſ. valor rerum unde ſit; unde ejus incrementa ac decrementa?

XII. Sed in commutationibus rerum rectè inſtituendis & conſummandis tantum reddi oportere cenſetur, quantum acceptum; ac ſi iniqua ſit commutatio, tantum commodi reponendum, quantum fuit imminutum, nullo perſonæ reſpectu: adeoque *ſola rei retribuendæ qualitas & æqualitas ſpectatur.* Veruntamen in æſtimatione operarum rerumve quibus præſtitis aut merces, aut honorarium, aut remuneratio reponenda, (quippe *ἀνθυπηρετῆσαι τῷ χαρισαμένῳ, καὶ πάλιν αὐτὸν ἄρξαι χαριζόμενον, obſequium obſequio, gratiam gratiâ, beneficium beneficio penſare,* ad Juſtitiam commutativam pertinet) habetur ratio perſonarum aliarumque circumſtantiarum ad æſtimandam gratiæ collatæ & referendæ magnitudinem, & æqualitatem inveniendam; & quidem perſonarum, tùm conferentis, tùm accipientis & referre obſtricti; utpote ſi non rogatus, ſi motu proprio, & accepturi gratiâ, & valde indigo. v. *Ariſt. II. Rhet. c. VII.* Neceſſe enim eſt & juſtum, *ἀνάγκη μάλιστα μὲν εἰς τοιαῦτα ἔχειν τὴν ὑπουργίαν, εἰ δὲ μή, εἰς ἴσα ἢ μείζω*, d. c. §. 7., *maximè quidem in iisdem fieri retributionem, ſin minus, paria aut majora referri;* aut ſaltim *εἰς τὸ ἐνδεχόμενον καὶ δυνατόν, ea quæ retribui poſſunt; μάλιστα μὲν ἴσως δεῖ τὴν ἀνταπόδοσιν γίγνεσθαι, ἀμφοῖν δοκούσαις κατ' ἀξίαν εἶναι, maximè quidem æqualiter oportet re-* IIX. Nicom. c. 14.

tet re-

tet retributionem fieri, pro utriusq., i. e. dantis accipientisque dignitate.
ix. Nicom 11. in fin. ἅπασιν ἀεὶ πειρατέον τὸ οἰκεῖον ἀπονέμειν, καὶ συγκρίνειν τὰ ἑκάστοις ὑπάρχοντα κατ᾽ οἰκειότητα καὶ ἀρετὴν, ἢ χρῆσιν. τῶν μὲν οὖν ὁμογενῶν, ῥᾴων ἡ κρίσις· τῶν δὲ διαφερόντων ἐργωδεστέρα. *Omnibus ſemper enitendum eſt congruentia retribuere, & dijudicare, quæ ſingulis adſunt* (merita fortè capiendi data aut reddita beneficia) *ex cognatione, & virtute, aut uſu. Et quidem ſimilibus, æqualibusve conferendorum referendorumve beneficiorum atque officiorum facilis eſt æſtimatio; operoſior eorumque debentur inæqualibus.* Porrò in debitorum exactione permittenda aut denegandâ nonnunquam habetur ratio perſonarum; unde *indulta moratoria, beneficium competentiæ.* Æqua ſanè *lex eſt 173. ff. de R. I.* In condemnatione *perſonarum*, quæ in id quod facere poſſint damnantur; non totum quod habent, extorquendum eſt: ſed & ipſarum *ratio habenda eſt*, ne egeant. De moratoriâ præſcriptione vid. *Ordin. Polit. de an. 1577. Tit. 23.* In æſtimatione magnitudinis delicti & perſonæ delinquentis rationem haberi notum eſt, reſpiciendo ſc. ad concurſum voluntatis, an invita, an ultronea, & indeliberata aut deliberata ſive ex propoſito? *v. l. 11. ff. de pœnis.* In æſtimatione magnitudinis pœnæ dignitatis quoque perſonæ puniendæ ratio habetur, *v. l. 5. ff. ſi ex nox. cauſ. ag.* quippe perſonæ honoratæ ſolius amiſſio dignitatis gravior eſt jactura quàm ſi vilis & pauperculus civitate pellatur: Majora enim & plura bona majori jacturæ locum faciunt. In ipsâ denique rerum commutandarum æſtimatione, ubi de *æquo rei precio* quæritur, operæ impenſæque rebus producendis neceſſariæ habetur ratio, & quodammodo perſonarum quoque producentium. Unde Ariſtot. ὅπερ γεωργὸς πρὸς σκυτοτόμον, τὸ ἔργον τὸ τοῦ σκυτοτόμου πρὸς τὸ τοῦ γεωργοῦ. *Quam rationem habet agricola ad ſutorem eandem habet opus à ſutore productum ad agricolæ.* Scilicet ratio habenda eſt impenſarum quibus utriusque artificii exercitium operis productio conſtat: Etenim precium ſeu valor rerum in ſe quidem conſideratus pendet ex uſu & indigentiâ rei;

lib v. Nicom. c. v. n. 3.

quippe

quippe rem ad indigentiam noſtram explendam inutilem nullius quoque precii arbitramur. Sed *gradus* ſ. diſcrimen, i e. *decrementum ac incrementum precii* ex facili vel difficili proventu aut productione rerum dependet. Quas enim natura aut ars in magnâ copiâ producit rerum vilius eſt precium in loco originis; quod augetur prout res rarior & majore impenſâ parabilis. Præclarè lex 63. ff. ad l. Falcid. *Nonnullam* ait, *precio varietatem loca temporaque adferunt: Nec enim tantidem Romæ & in Hiſpaniâ oleum æſtimabitur: nec continuis ſterilitatibus tantidem, quanti ſecundis fructibus.* Et pr. d. l. *Precia rerum non ex affectu nec utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur.* Nempe, quanti is qui ejus *uſum* habet *neceſſarium*, ὅσου πρὶν ἔχειν ἐτίμα, IX. Nicom. I. in fin., quanti prius quàm ipſam nanciſcatur, æſtimaret; quantique omnes, qui, quo labore quâve induſtriâ ad cujusque rei productionem opus ſit intelligunt, æſtimarent. v. Grot. *de I. B. & P. lib. II. c. XII. n. 14.* Dn. Uffelmannum *Diſſert. de Menſurâ precii rerum.* Et *noviſſ.* Dn. Pufendorf. *l5 c. 1. de I. N. & G.*

CAPUT V.

Quæ in civitatibus locum inveniunt diſtributionum & commutationum ſpecies; quemadmodum unaquæque illarum tùm æqualis exiſtat, tùm iniqua.

§. I.

Doctrinæ practicæ prolixitas prope neceſſaria eſt. Doctrina Ethica de jure & juſtitia quomodo tradenda?

CEterum ſingulas diſtributionum ac commutationum ſpecies *tùm prius* quàm iniquæ fiant, *tùm poſterius*, cum jam iniquæ fuerint, exæquandi & ad æqualitatem reducendi rationes declarare neceſſarium fuerit ad doctrinæ actionum directivæ complementum; aliàs oratio foret inanior ſi in generalibus ac qui-

quieſceret: *arg. pr. c V. lib. II. Nicom.* Sed hinc non poteſt non exiſtere tractationis prolixitas; cujus tamen declinandæ gratiâ rem conciſius proponemus; cujus in genere ac ſpeciebus ſuis rectè, ut opinor, traditæ productio ac diſtinctior explicatio tantò facilior erit, quantò difficilius, prima principia innumeris diſputationum involucris tecta in lucem protrahere. Ariſtoteles doctrinam de juſto ac injuſto in genere ſuo & plerisque ſummis ſpeciebus ſat præclarè tradidit; ſed ut fructus ejusdem appareat, oportet eam ad ipſa, & quandoque ultra Jurisprudentiæ confinia producere.

II. Diſtributionum ſpecies. Publicarum poteſtatum quænam ſit juſta diſtributio. Quibus nitantur rationibus contendentes inter ſemet de poteſtate gerendæ Reipubl. Naturalis menſura honorum civilium. Quomodo dijudicanda civilis multitudinis propenſio ad hanc vel illam Reip. formam recipiendam? Indoles cujusque civilis ſocietatis domeſtica quanam in re conſiſtat? quotuplex ea ſit, quamque vim habeat? Quænam Reſpubl. ſit regularis vel recta, quæ irregularis ſeu prava?

II. Diſtributionum ſpecies deſumuntur ex objecto, ſeu rebus quæ diſtribuuntur. Inter has præcipuo loco ſunt *publica* jura, poteſtates ſive facultates gubernandæ Reip.; ἐξουσία τῆς ἀρχῆς πολιτικῆς, tàm ſumma in civitate poteſtas omniumque domina, quàm ceteræ ei ſubordinatæ. Harum poteſtatum aliquam ab uno latere *veluti quantum aliquod* collocamus, quærimusque alterum ei proportionatum, ſ. congruum, i. e. perſonam ei poteſtati gerendæ parem, ſive, ut communiter loquuntur, perſonam dignam. Etenim poteſtatem illam ſubjecto ejus exercendæ naturalem potentiam habenti aſſignare oportet; aliàs finis ad quem illa ordinari debet obtineri nequit. Hîc jam in civitate ordinandâ perſonarum ambitus exardeſcit, ſuam quisque *nobilitatem, opes, libertatem, virtutem* contendit, ac *dignam*

tanti

tanti honoris tantæque, quæ diſtribuenda eſt, poteſtatis *acceſſione* oſtentat. Deſcribit hanc contentionem Ariſtoteles *III. Politicor. IIX.* Eſt autem, ut verbo dicam, ab altero latere collocanda *virtus introductiva finis* in ſocietatem civilem, *potentia nempe ac voluntas regendæ civitatis* ad ejus ſalutem ac felicitatem; quæ cuicunque perſonæ aut perſonarum ordini magis adeſt, ei magis juſtum eſt aſſignari illam poteſtatem, *conſ. cap. XII. lib. IV. Polit. Ariſtot.* Et conſiſtit illa potentia regendæ civitatis non in ſola & nuda virtute ac prudentia, ſed in iisdem auctoritate & externis viribus ſubnixis, virtutique per ſe imbecilli nervos addentibus. *Δεῖ οὐ μόνον ἀρετὴν, ἀλλὰ καὶ δύναμιν ὑπάρχειν καθ' ἣν ἔσαι πρακτικός.* Ariſtot. *VII. Polit. III.* Videtur tamen in reliquâ quoque multitudine civili tanquam *virtus receptiva regiminis* requiri aptitudo ac propenſio ſubeundi talem poteſtatem, uni aut paucis vel virtutis, vel divitiarum, vel nobilitatis ratione, aut pluribus reſpectu libertatis, aut uni & paucis, aut uni & multis, aut paucis & multis, diverſis rationibus aſſignandam. Hoc eſt τὸ ἦθος τῆς πολιτείας οἰκεῖον. Ariſtot. IIX. Polit. c. I. *Indoles cuique civitatis ſpeciei domeſtica* Inde alia multitudo civilis dicitur *Regalis*, alia *Ariſtocratica*, alia *Oligarchica*, alia *Democratica*, *III. Polit. c. fin.* & porro, alia *Monarchico-Oligarchica*, aut *Monarchico-Democratica*, alia *Oligarchico*-aut *Ariſtocratico-Democratica*. Vel potius, integra indoles Reipubl. domeſtica conſtat ex conjunctis illis aptitudinibus ac propenſionibus inter ſe conſonis; nempe potentiâ & voluntate, in his, regendi tales; in illis, obtemperandi talibus. Hujuſmodi indoles καὶ φυλάττειν εἴωθε τὴν πολιτείαν, καὶ καθίστησιν ἐξ ἀρχῆς, *& conſervare ſuevit Rempublicam, & ab initio format.* IIX. Polit. I. Nempe ita animis conſtituti ultro conſentiunt in idem imperandi obtemperandique placitum; in quo eodem animorum ſtatu permanente perſiſtunt: *Et ſic facta* νομὴ συνδυάζει· κἂν οὕτως συντεθῇ, δικαίως συνδυάζει: V. Nicom. III. n 27. *diſtributio connectit, ac ſi ita componatur civitas, juſtè connectitur.*

tur. Id eſt, ſi in populo democraticæ indolis, democraticus; in populo ariſtocraticæ indolis, ariſtocraticus; in populo monarchicæ indolis, monarchicus; & denique in populo mixtæ indolis, mixtus conſtituatur Reipubl. ſtatus. Fuerit fortaſsè talis Reſpublica *regularis*, quocunque demùm ordine imperantium conſtet; dummodò ad eum retinendum utrinq; conſenſus adſit; aut ſaltim ſuperiores poſſint in officio continere ſubditos, quibus ſemper ineſt querula in imperantes malignitas, ut ait *Camden. Hiſt. Elizab. ad ann. 1603.* Irregularis autem & malè conſtituta Reſp. hactenus eſt, quæ indoli ſeu genio populi haud congruit; v.c. ſi populus ſit monarchicæ indolis, Reip. autem ſtatus democraticus, & vice verſâ. Hinc Seneca Brutum vehementer erraſſe contendit, quod exiſtimaverit *civitatem* Romam *in priorem formam poſſe revocari, amiſſis priſtinis moribus:* locum integrum exhibet H. Grot. *in annot. ad §. 8. cap. III. lib. I. de I. B. & P.*

III. Unus idemq; Reip. ſtatus quamdiu retineri debeat? In ſummâ poteſtate recipiendâ ſæpenumero neceſſitas dominatur.

III. Eſt igitur indoles, i. e. aptitudo populi cujuslibet ejusq; ad certam Reip. formam propenſio menſura naturalis ac norma Reipubl. ab initio conformandæ, quæ indoles quamdiu eadem permanet, tamdiu juſtum eſt eundem retineri civitatis ſtatum. Ceterum in ſubjecto ſummæ poteſtatis ordinando haud rarò neceſſitas magis quàm libera voluntas dominatur, quando Reſpubl. in potentioris magis quàm melioris ac prudentioris humeros devolvitur. In poteſtatum inferiorum ordine conſtituendo naturalis dignitatis ratio teneri facilius poteſt; & magis facile ab uno ad alterum, quàm à nullo ad aliquem pervenitur ordinem.

IV. Ratio continuandi poteſtatem regendæ reipubl. tam ſummam quam ſubordinatam. Hæreditaria ſucceſſio Reip. procerum præfertur liberæ electioni. Mixta regiæ ſucceſſionis ratio in mixtis Rebuspubl. recepta.

IV. Uti

IV. Uti autem in ſummarum, ita & in inferiorum poteſtatum ordine continuando alibi *hæreditaria ſucceſſio*, alibi *electio* recepta eſt; hæc ſubordinatis, illa ſummis poteſtatibus in alias perſonas transferendis congruentior. Nam ſummarum poteſtatum intereſt propriâ auctoritate & potentia benè firmata niti; quod firmamentum ex majorũ hæreditate & dignitate in ſucceſſores devolutis majora ſemper incrementa nanciſcitur; cum è contrario per continuam electionem ſemper nova auctoritas, ſemper nova nec unquam inveterata, nullisque majorum acceſſionibus aucta potentia ad regimen perveniant. Porrò cum ſumma poteſtas ſit ἀνυπεύθυνος, in ſimplicibus quidem Rebuſpubl. absque ſtatus publici concuſſione impediri ea non poteſt, ne in liberos & familiam ſuam derivare ſtudeat potentiam à Republ. acceptam. v. Ariſtot. *III. Polit. XI.* Amor quoque Reip. acrior eſt in eo qui eandem tanquam proprium patrimonium ſuis & amantiſſimis ſe relicturum novit, quam qui liberos ſuos, propter liberam electionem, paternæ dignitatis exſortes metuit. add. Barclai. *Argen. lib. I. in Orat. Dunalb.* Grot. *de I. B. & P. lib. II. c. VII. §. 19.* Atque hæc de monarchico non minus quam oligarchico aut ariſtocratico ſtatu debent intelligi. Quando hi Rerumpp. ſtatus remiſſiores exiſtunt aut v. c. ex monarchiâ & vel oligarchiâ vel ariſtocratiâ mixti ſunt, mixtam quoque ſummæ poteſtatis continuandæ inque ſucceſſores transferendæ rationem ſolent obſervare, ut nempe ex certâ vel certis familiis hactenus jus quæſitum habentibus deligant principem vel proceres qui in ea vel iis dignus vel digni reperiuntur. Hujuſmodi *mixta regiæ ſucceſſionis ratio* in antiquo Francorum aliisque regnis olim fuit recepta. v. Dn. Conring. *annot. ad Lamp. p. 3. c. 2. §. 4. pag. 107, 108.*

V. Magiſtratibus ceteriſque poteſtatibus Majeſtati ſubordinatis creandis & continuandis congruit libera electio; quandoque etiam quodammodo hæreditaria ſucceſſio. *Poteſtas realis*

lis & perſonalis. Officiorum publicorum alienatio quatenus tolerari poſſit? Magiſtratuum mercatura improbatur.

V. At verò magiſtratuum ceterarumque inferiorum poteſtatum continuatio rectius fit per electionem, retentâ ſinceriore & iſti rerum generi naturali ratione congruâ diſtributione, quæ ex antegreſſa multiplici ac ſolicitâ inquiſitione in aptitudinem & capacitatem perſonæ, curioſâ candidatorum comparatione diu multumque factâ procedit. Omnia hæc ceſſare oportet quando perſona magiſtratum geſtura naſcendi ſorte non ſuffragio quæritur; ſeu quando magiſtratus ac poteſtates certis familiis, caſtris, territoriis, patrimoniisq; adhæreſcunt, & non tàm virtutis ratione quam ſanguinis inque certo quodam patrimonio ſucceſſionis jure deferuntur: Hæc poteſtatis ſpecies vocatur *realis* ſive *patrimonialis*, prior illa *perſonalis*; & utraque moribus recepta eſt; v. Fulv. Pacian. *de Probat. lib.2. c. 43. n.21. 26.30.* Veruntamen & in inferiorum poteſtatum civilium continuatione earundemque quando id neceſſitas exigit, in alias perſonas translatione hoc temperamentum ſalubriter adhibetur, ut in familiis certis continuetur Reipubl. gerendæ honos, ſi illæ ſuppeditent perſonas muneri deſtinato haud indecoras. Et Juſtiniano imperante nonnullas functiones publicas tàm per venditionem, quam per actum ultimæ voluntatis in perſonas idoneas transferre permiſſum erat; vid. Cujac. *ad Novell. 35. & 53. p. 4. ſeu c. 5.* Cujuſmodi commercium, ſi in inferioris conditionis functionibus ſubſiſtat, & in faciendâ ſubrogatione ac ſucceſſore deligendo dignitatis ratio inſuper non habeatur, hactenus extra juſtam reprehenſionem eſſe videtur. conf. Fern. Vaſq. *Contr. illuſtr. part.1. c.42. 43.* Majoris tamen momenti officiorum, magiſtratuum, judicum, conſiliariorumque commercium omnino deteſtabile habetur; id quod ſacrorum pariter

cano-

canonum ac civilium legum conditoribus perſuaſum fuit, *ambitus* & *ſimoniæ* criminibus graves pœnas conſtituentibus.

VI. Naturalis menſura ſalariorum, ſtipendiorum &c. Salariorum, ſtipendiorumque conceſsiones inſtar donationum habent.

VI. Salariorum, ſtipendiorum, penſionum ex publicis reditibus aſſignationes dignitati aut meritis perſonarum reſpondere oportet; quique gravioris curæ poteſtatem gerit, naturali jure majorem meretur remunerationem, quàm voluptatum miniſtri, ſæpenumerò non tantùm *inutilia* ſed & *noxia* terræ pondera. Sunt verò illi actus veluti *donationes*, aut *remuneratoriæ* officii præſtiti, aut *provocatrices* officii præſtandi; (cujuſmodi eſſe debet collatio ſtipendiorum in homines olim Reip. & Eccleſiæ utiles) quippe utplurimum confertur beneficium propter officium aut jam præſtitum, aut præſtandum. Adeoque his negotiis tacita, ſi non expreſſa, ſubeſt conventio, do ut facias, aut facio ut des vel facias. Sed hæc infra declarabimus.

VII. Naturalis menſura munerum realium & perſonalium. Nonnullorum quoque munerum realium & perſonalium præſtationem ad Juſtitiam vel univerſalem vel commutativam pertinere.

VII. Munera patrimoniorum naturali rationi congruenter definiri creduntur itidem ſecundum proportionem geometricam, *pro modo facultatum* ac redituum; qui quo in uno atque alio amplior eſt, eò plus oneris iis imponi juſtum cenſetur; decreſcente autem re familiari, onera quoque oportere minui. *Illam æquitatem debet admittere cenſitor, ut officio ejus congruat, relevari eum qui in publicis tabulis delato modo frui certis ex cauſis non poſſit. Quare & ſi agri portio chaſmate perierit, debebit per cenſitorem relevari: Si vites mortuæ ſint, vel arbores aruerint, iniquum eum numerum inſeri cenſui*, l. 4. § 1. ff. de cenſibus. Item, *Omne territorium cenſeatur quotiens defectorum levamen expoſcitur, ut ſterilia atque erema his quæ*

 culta

culta vel opima ſunt compenſentur. l. 4. C. eodem. Hâc de re ſæpius in Comitiis Imperii tractatum; *v. Receſ. de An. 1544.* §. *8. 12. 13. 14. 20. Receſ. de Ann. 1582.* § *50. 51. 52. 54.* Grundfeſte des H. R. R. *part. 3. c. 8. §. 3.* Sed hæc diſtributionis ratio locum habet inter perſonas ceterà æquales: Nam cum alter in Reipubl. adminiſtratione occupatus eſt, utut opulentior ſit, ſi artium illiberalium aut minus liberalium, (cujusmodi ſunt *chrematiſtica* pleræque) uſu abſtineat, wenn er keine Bürgerliche Nahrung treibet/ immunis eſſe ſolet ab oneribus patrimonialibus; cum liberalis illius opera quam ad ſalutem Reipubl. confert pro pecuniâ quam alter contribuit valeat. § *2. I. de ſociet.* Nonnulli quoque per ſocordiam & luxum minuunt res familiares, quas alii frugalitate ac induſtria augent; ut hoc in caſu æqualitas ſervetur, illis plus corporalis miniſterii imponendum videtur, quam his qui plus rei contribuunt. Plurimæ tamen penſitationes pro modo facultatum non imponuntur; ſed vel eſculentis ac potulentis, unde *Licenten* ut vocantur; vel capitibus, unde tributum capitis, *l. 3. pr. ff. de cenſ.*; vel caminis, vel exportandis ac importandis &c. quorum præſtatio non videtur ad diſtributivam, ſed vel ad univerſalem, vel ad commutativam juſtitiam pertinere; ſcilicet dum vel erga Remp. liberalitatis actûs quoquo modo à ſubditis exiguntur, vel pro commoditate vivendi & commerciorum ſecuritate quam Reſp. præſtat, qualitercunque grati eſſe jubentur. Ex hoc fonte tributorum & vectigalium juſtitiam deducit Hug. Grotius *de I. B. & P. lib. II. c. II. §. 14.* conf. D. Paul. *Ep. ad Rom. XIII. 6.* Sed & viliora munera perſonalia, quæ ſecundum arithmeticam æqualitatem inter ſubditos ſunt ambulatoria, velut ex conventione *facio ut facias* præſtantur; & dum principes ac magiſtratus ad Reip. ſalutem *architectonicam* conferunt operam, juſtum eſt ut ſubditi *miniſterialem* ad eam conferant; quam quisquis per ſe obire dedignatur, per alium ſuis tamen ſumtibus obire nonnunquã permittitur. De diſtributionis ac impoſitionis onerum realium ſalutari ratione vi-

ne vide *Illuſtr. Dn.* Seckendorff/ Teutſcher F. St. *addit. poſter. pag. 227. ſeqq. Edit. de ann. 1665.*

IIX. Immunitatum præſtatio ex quibus cauſis fiat.

IIX. Immunitas ſeu vacatio munerum civilium tribuitur tùm *ob cauſam præſentem*, nempe aut honorem adminiſtrandæ Reip. qui actu geritur, ut §. antec. dictum; aut ob aliquod definitum munus quod publicis utilitatibus exhibetur, & vel unicum fatigat exercentis induſtriam ut plura ſuſtineri non poſſint; *v. l. 5. §. 12. l. 6. ff. de jure immun.* tùm *ob cauſam præteritam*, ut emeritis, veteranis, in ſolatium laborum Reipubl. causâ exantlatorum; tum *ob cauſam præteritam* pariter *&* *futuram*, nempe ob res præclare geſtas, ac ulterius benè gerendas: *Nam remuneranda pericula eorum, quin etiam & hortanda præmiis merito placuit*, ait Calliſtratus *l. 5. §. 3. ff. de jure immun.* Nonnullorum munerum excuſationem & corporis debilitas præſtat, *l. 2. §. 7. ff. de Vacat. & Excuſat.* Ob cauſam præſentem & futuram immunitatem à muneribus civilibus habent literarum ſtudioſi, *Auth. Habita*, & Gothofr. *ibid. C. Ne fil. pro patr.* Oldend. *de jure ſingul. c. de privil. quæ bonar. liter. profeſſ. &c.*

IX. Iniqua diſtributio quot modis fiat?

IX. Singulis enumeratarum diſtributionum ſpeciebus multiformis poteſt intervenire iniquitas; cum in conceſſione honorum ac immunitatum indigni dignis præferuntur, cum dignitas gerendi honoris non reponitur in virtute gerendo muneri congruâ, & plane nulla habetur virtutis ratio, ſed vel divitiarum & largitionum vel affectionis privatæ alteriusve rei; item cum minus digno majora, digniori minora ex optabilibus conferuntur; cum in diſtributione onerum non ſervatur debita æqualitas: Cujuſmodi iniquitatum, & incommodorum inde provenientium, ut & modorum quibus ea mala tollere conveniat prolixior declaratio excedit præſentis inſtituti noſtri menſuram.

X. *Quæ*

X. Quæ ſint commutationum ſpecies. Quænam ſint non jure facta; quænam ex his retrovalidari poſſint vel non?

X. Commutatinum (ita vocem συναλλάγματος jam accipiamus) *differentiæ* petuntur tum ex objecto, quod eſt *res* aut *opera*; tum 2. ex modo commutationis, quatenus aut *gratis* fit alterutrius præſtatio, aut pro æquivalenti; unde acquiſitionum cauſæ *lucrativæ* & *oneroſæ*; in his commutatur vel res pro re, hinc *do ut des*, vel res pro operâ, hinc *do ut facias*, vel opera pro re, hinc *facio ut des*, vel opera pro operâ, hinc *facio ut facias*; *v. l. 5. pr. ff. pr. præſcr. verb. & in fact. act.* Interdum fit conjunctio ac collatio operarum rerumque ad commune emolumentum, unde contractus qui ſpeciali nomine vocatur *ſocietas*. Tum denique 3. ex habitudine ſeu reſpectu commutationis ad dictamen rectæ rationis ſpecies ejus deſumuntur; quatenus illius inſtituendæ facultas aut conceſſa, aut negata: Quæ jure permittente inſtituuntur, vocantur συναλλάγματα ἑκούσια, *commutationes ſpontaneæ;* quæ eodem vetante, ἀκούσια *invitæ.* Et in lege quæri debet ἡ ἀρχὴ τῶν συναλλαγμάτων ἑκούσιος, ἢ ἀκούσιος, *principium commutationis voluntarium ac involuntarium*, de quo *Ariſt. V. Nicom. c. 2. §. 34.* Illa verò legis aut permiſſio aut prohibitio reſpicit tum *perſonarum* inter quas, tum *rerum* quæ conferuntur, tum *modi* per quem fit commutatio *conditiones ac qualitates*; & vel unius debitæ circumſtantiæ defectus commutationem facit peccaminoſam, quæ quandoque à vitio ſuo purgari poteſt, v. c. ſi metu inita conventio per ſubſequentem metum paſſi ratihabitionem convaleſcit, *l. 4. C. q. m. c.*; quandoque convaleſcere non poteſt, v. c. ſi res extra commercium poſita privato auſu lege prohibente in commercium deduci tentetur: Priori nempe caſu vitium actûs ex ſolius voluntatis defectu fluit, quo ſublatò actus retro validatur, *v. l. fin. C. ad SCt. Maced. c. ratihabitio, de R. I. in 6.* poſteriori verò caſu vitium in objecto reſidet, quod proinde ſolo conſenſu contrahentis purgari non poteſt.

XI. Gra-

XI. Gratuitæ præſtationes ſeu cauſæ lucrativæ ad liberalitatem pertinent. Species conventionum & contractuum cauſam lucrativam habentium.

XI. Gratuitæ præſtationes rerum aut operarum videntur pertinere ad actus liberalitatis; unde *donatio* mera & abſoluta propter nullam aliam cauſam fieri dicitur, quàm ut donator liberalitatem & munificentiam exerceat, *l. 1. pr. ff. de donat.* Et *precarium* dicitur genus liberalitatis, *l. 1. §. 1. ff. de precar.* Pari modo commodatum & mandatum ſunt gratuita, § *2. I. q. m. r. contr. obl. & §. fin. I. de Mandato*; In illo uſus rei, in hoc opera gratis ac liberaliter præſtatur, perinde ut & in depoſito cuſtodiendo. Veruntamen cum Ariſtoteles inter *συναλλάγματα* numeret injuſtitiæ univerſalis actus in alterius incommodum geſtos, eò quod ex iis privato jus aliquod naſcitur, ſcilicet petendi reſtitutionem commodi vel boni imminuti; nihil, opinor, vetat ex eâdem ratione nonnullos liberalitatis actus inter ſpontaneas commutationes reponere. Et quidem quod ex donatione ad remunerandum nobis donatarium obligatum habeamus, affirmat *l. 25. §. 11. ff. de hæred. petit.* ubi etiam *ἀντίδωρον*, i.e. *remuneratio* velut *genus quoddam eſſe permutationis* dicitur. In precario, commodato, depoſito, mandato, liberalitas gratuitò concedentis modo ac tempore definita eſt; unde gratis accipienti obligatio injecta finito tempore reſtituendi rem gratis habitam, &, ubi opera præſtatur, ceſſandi operas ulterius exigere. Sed hæc jamjam ſuo ordine videbimus.

XII. Interna forma actuum juſtitiæ commutativæ. An omnium beneficiorum remuneratio naturali jure neceſſaria ſit? Quotuplex ſit identitas quæ in commutationibus exigitur? Numus & precii & honorarii vicem ſubire poteſt. Quænam ſint res operæque inæſtimabiles. Quo reſpectu harum remuneratio fieri debeat?

XII. Interna juſtitiæ commutativæ actuum forma eſt *æqua*

litas datorum ac redditorum: ſed hæc in actibus beneficis meris ceſſare videtur; niſi dicere velimus, in his quoque ut æqualis retributio fiat naturâ juſtum eſſe; cujus tamen retributionis neceſſitatem remittere poſſit is qui prius beneficium confert; aut æqualitatis vicem ſuſtineri *nixu & conatu referendi paria*, utut effectus in nonnullorum beneficiorum remuneratione ſequi non poſſit; καθάπερ καὶ πρὸς θεοὺς καὶ πρὸς γονεῖς, *veluti in iis quæ DEVS & parentes contulêre.* Ariſt. IX. Nicom. I. Sunt autem commutationes ultrocitroque factæ naturâ ſuâ rerum æqualium, & earundem, quandoque *numero*, ſc. ubi tantum uſus eſt conceſſus, aut cuſtodia demandata; velut in depoſito, in commodato, locato, precario, uſufructu, uſu, & habitatione; quandoqve *ejusdem ſpeciei*, veluti in mutuo; quandoque, & quidem frequentiſſime, *ejusdem valoris ac precii*, ſeu magnitudine precii æqualium. Et ad hanc æqualitatem facilè inveniendam præſtò eſt *numus communis menſura precii* operarum ac rerum æſtimabilium, definitumque aut definiri aptum valorem habentium: Sed & res operasque inæſtimabiles, ſive quarum infinitus eſt valor; uti ſunt vita, fama, libertas, ſanitas, corporis integritas, officia in altero ad felicitatem dirigendo poſita; v. c. poteſtatum civilium adminiſtratio, inſtitutio in ſtudiis liberalibus; item protectio periclitantium in vitæ, dignitatis, famæ, fortunarumque diſcrimine; has etiam remunerari ſolemus non quidem preciis & mercede, ſed honorariis; Talia enim conferentes, ut præclare loquitur Ulpianus *l. 1. ff. ſi menſor.* non creduntur locare, ſed magis *operam beneficii loco præbere*; & id quod datur, eis ad *remunerandum* datur; ſc. quod deſerviunt, quod *à rebus ſuis avocati* ſe alienis negotiis intendunt, Senec. *6. de benef. c. 15. 16.* Tacit. *XI. Annal. 7.* Paul, JCt. *in l. 34. ff. de donat.* Et inde *honorarium* appellatur, cujus materia ſæpius eadem quæ precii, ſed modus offerendi differt: quippe numus & honoris gratiâ, & cum honoris exhibitione poteſt offerri: καὶ δῶρον δὲ κτήματος δόσις, καὶ τιμῆς σημεῖον. *Donumq; eſt poſſeſſionis datio,*

datio, & honoris ſignum. Ariſt. 1. Rhet. v. n. 28. Usque adeò numus habet χρείαν ευμεταχείριστον πρὸς τὸ ζῆν, *uſum facilem ad ſublevandam quamlibet vitæ indigentiam.* Unde ille ait:

Quidvis numis præſentibus opta,
Et veniet; clauſum poſſidet arca Jovem.

Sunt tamen fortè nonnulla numis haud parabilia & irreparabilia; etſi in ſolatium rei amiſſæ vel afflictæ iridem quandoque numorum quantitas ſolet exhiberi, uti in *Wergeldo* & *emendâ* *utili* videmus.

XIII. Quatènus in commutationibus exigenda ſit æqualitas? Modica inæqualitas in commutationibus non eſt culpanda.

XIII. In rebus operiſque commutandis quæritur non exactiſſima &, qualem Mathematicus poſtularet, æqualitas; hæc enim ob varietatem rerum penè infinitam haberi non poteſt; dum non tantùm plurimæ ſpecies, ſed & ad eandem ſpeciem pertinentia plurima individua (hæc verò commutantur) valore differunt: Ea tamen exæquatio, quæ ad uſum ſat exacta ſit, poteſt inſtitui; ne ſcilicet alter nimis ingens lucrum, alter nimis ingens damnum percipiat. *v. lib. V. Nicom. c. V. n. 45. 46.* Quod ſi enim rationi non repugnat rem ſuam alteri gratis concedere, neque repugnabit utilitatem recipere eâ quæ præſtita eſt minorem, aut, ſi ita contingat, paulò majorem. Sed ubi non apparet voluntas meræ liberalitatis exercendæ, tantum emolumenti ab altero viciſſim exſpectari præſumitur, quantum in eum fuit collatum. Ceſſat verò illa meræ liberalitatis præſumtio maximè ubi commutantium conſenſus in tribuendæ & retribuendæ utilitatis placitum expreſſis verbis decurrit.

XIV. Diviſio commutationum in legitimas & morales, ac illarum ſpecies. Quinam contractus hùc pertineant? De rebus creditis & ſpeciebus cautionum; & uſuris.

XIV. Commutationes rerum in vitâ utilium, ſeu quæ harum gratiâ ineuntur conventiones eleganter dividuntur à Philoſopho *IIX. Nicom. XIII. n. 12. 13. ſeq.* in *νομικὰς legitimas*, & *ἠθικὰς, morales. ἔστι δ' ἡ νομικὴ μὲν ἡ ἐπὶ ῥητοῖς, ἡ μὲν πάμπαν ἀγοραία, ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα· ἡ δὲ ἐλευθεριωτέρα, εἰς χρόνον· καθ' ὁμολογίαν δὲ, τί ἀντὶ τινός: δῆλον δὲ ἐν ταύτῃ τὸ ὀφείλημα, κοὐκ ἀμφίλογον· φιλικὴν δὲ τὴν ἀναβολὴν ἔχει. Eſt verò LEGITIMA quidem ea quæ in condictis (i. e. conventione expreſſâ præſtandorum & retribuendorum) conſiſtit; harumque alia quidem omnino forenſis & mercatoria, è manu in manum; liberalior altera, ubi retributio formalis in tempus aliquod differtur, ex conventione tamen, ut aliquid pro aliquo reponatur; unde & manifeſta minimeque controverſa eſt dandorum faciendorumve obligatio; cujus tamen implementum amicam habet dilationem*, in tempus fortè quam primùm debitor obligationis nexu ſeſe poteſt exſolvere. Prioris generis ſunt conventiones quæ cum pactâ conventâ præſtatione rei operæve ſtatim ſunt conjunctæ, ita ut ſi ultrocitroque præſtitorum æqualitas adſit, nullum obligationis onus alterutri amplius incumbat. (vide tamen quæ ſupra *cap. 3. § 8.* dixi.) Hùc pertinent emtiones venditiones in quibus precio numerato merx traditur, locatio conductio, contractusque innominati in quibus ſtatim fit pacti conventi implementum, ac nonnunquam *jus retentionis* exercetur, donec debitum exſolvatur; Et ipſa ratio hoc ſuadet iis quibus indigentia ſua non permittit concedere ſolutionis dilationem; veluti operariis, mercenariis, viliumque artificiorum tractatu victum quæritantibus. *v. Deuteron. XXIV. v. 14. 15.* Poſterioris generis ſunt conventiones & contractus quibus *in creditum itur*, i. e, quos *alienam fidem ſecuti* inſtituimus, *l. 1. ff. de reb. credit.* ſeu in quibus alter alteri *fidem habet* de obligatione, quam paciſcendo contraxerunt, implendâ. Et omnes hujuſmodi contractus *ſpeciem mutui* videntur repræſentare, arg. *l. 3. § 3. ff. de SCto Maced.* Ad ſecuritatem

cem hujuſmodi & ſimilium obligationum pertinent varia *cautionum* genera jure civili conſtituta aut comprobata, videl. 1. nuda promiſſio, *§.2. l. de ſatisdat.* 2. ſtipulatio, §.*2. l. de diviſ. ſtip.* & §. *2. l. q. m. toll. obl.* 3. conſtitutum *§.9. l. de act.* 4. juratoria cautio, § *2. l. de ſatisdat.* 5. fidejuſſoris datio, 6. hypotheca, 7. pignus; & huic inter perverſos hominum mores plenior ſecuritas ineſt, *ἀναμφισβήτητος ἀσφάλεια*, ait Imp. *in Novell. 72. c. 6.* add. *l. 5. ff. de ſuſpect. tutor.* Ne autem autem creditori, dum re vel ſuâ vel ſibi debita ejusq; fructu vel uſu tamdiu carere cogitur, illa ſolutionis dilatio damnoſa ſit, permiſſum ei eſt eo nomine *uſuram* moderatam ſeu *id quod intereſt* à debitore exigere, quando ea obligatio vel legibus, vel moribus, vel pacto conſtituta. Et hæc acceptio uſurarum naturâ non eſt turpis, quando naturali omnique juri amica æqualitas eo modo retinetur, & inæqualitas præcavetur, alioquin exſtitura, ſi creditor rei pecuniæve aut ſuæ aut ſibi debitæ uſum debitori ſolutionem citra neceſſitatem differenti & forſan ex alienâ pecunia lucrum capienti gratis concedere contra voluntatem ſuam teneretur. conf. Grot. *de I. B. & P. lib. II. cap. XII.* §.*21. 22.* Egenis verò ſine uſuris mutuum dare humanitati abs homine homini debitæ congruit; & talibus quoque pignus ante ſolem occaſum reſtitui jubet lex divina, uti omnium virtutum, ſic præcipue humanitatis magiſtra, Deuteron. *XXIV. 12.*

XV. Quid ſit moralis commutatio; quæ negotia civilia ad eas pertineant? Beneficium quid ſit. Quomodo accepta beneficia remuneranda ſint. Non omnia beneficia accipienda. Lex magiſtratibus poſita, de xeniorum & donorum acceptione.

XV. *MORALIS commutatio* ſeu de commutando convenrio eſt οὐκ ἐπὶ ῥητοῖς, ἀλλ' ὡς φίλῳ δωρεῖται, ἢ ὅ,τι δή ποτε ἄλλῳ· κομίζεσθαι δὲ ἀξιοῖ τὸ ἴσον ἢ πλέον, ὡς οὐ δεδωκὼς ἀλλὰ χρήσας, *non in condictis, ſive expreſſâ conſtitutione obligationis; ſed ubi tanquam amico*

aut cuivis alii gratificatur, qui ſe dignum judicat æquale aut etiam plus recipere; ac ſi non donaverit, ſed mutuo dederit. d. c. 13. lib. 8. Nic. §.18. Verſantur hujusmodi commutationes circa operas & res tùm in commercio poſitas, i e. quarum precium numus metitur; tùm circa inæſtimabiles, quas paulò ante; §. *12.* enumeravi; verbo, circa omnia quæ *ἀπ' εὐεργετικῆς δυνάμεως, à virtute beneficâ* proficiſcuntur. *Εὐεργεσία δὲ ἢ εἰς σωτηρίαν, ἢ ὅσα αἴτια τοῦ εἶναι, ἢ εἰς πλοῦτον, ἢ εἴς τι τῶν ἄλλων ἀγαθῶν, ὧν μὴ ῥᾳδία ἡ κτῆσις, ἢ ὅλως, ἢ ἐνταῦθα, ἢ ποτέ. Beneficium vero eſt* (res operave præſtita) *aut ad ſalutem, quæque cauſæ ſunt ut ſimus; aut ad divitias, aut aliud quippiam bonorum, quorum non facilis acquiſitio, aut omninò, aut ibi, aut aliquando.* Ariſt. *1. Rhet. V. n. 24.* Præſtantur autem illa aut à ſuperioribus, aut ab inferioribus, aut ab æqualibus. *Singulis verò ſatisfacere annitendum, eo ſatisfactionis genere quod cuique conveniens & acceptum:* Hoc enim videtur quaſi tacitum beneficio alterum afficientis votum, ut ipſe quod ſibi congruum & ab accipiente præſtari poterit recipiat; quandoque ſolam gratam recordationem, quandoque & indigentiæ levamen, quandoque honorem, & interdum ſubjectionem, pro mediocritate aut magnitudine collatorum beneficiorum, & pro dignitate conferentis. *καθάπερ οὖν ἐπὶ ῥητοῖς εὐεργετηθέντα διαλυτέον· καὶ ὁμολογῆσαι δ' ἂν, δυνάμενος ἀποδώσειν· ἀδυνατοῦντα δὲ, οὐδὲ ὁ δοὺς ἠξίωσεν ἄν. ὡς εἰ δυνατὸς ἀποδοτέον. Igitur velut ex condictis beneficio affectum remunerari oportet; & fortè pepigiſſet ſe gratiam relaturum, ſi facultas præſtò; quæ ſi deficiat, neque conferens beneficium paria exſpectaverit. Quare ſi poteſt, retributio facienda.* d. c. Nicom. §. 25. Ab initio autem conſiderandum, cui & quatenus alicui velimus beneficii accepti nomine nos obſtringere; ut vel omninò repudiemus, vel modicè acceptemus beneficia fidem noſtram aliis jam obſtrictam tentatura. Scilicet honeſtius repudiatur beneficium, quàm acceptum conferenti gratâ remuneratione non rependitur. Præclariſſima eſt lex *6. ff. de Off. Proconſ.* cujus hæc verba; *Quantum ad xenia pertinet, audi quid ſentimus:*

mus: Vetus proverbium eſt: οὔτι πάντα, οὔτι πάντοτε, οὔτι παρὰ πάντων. *Neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus. Nam valde inhumanum eſt, à nemine accipere; ſed paſſim, viliſſimum eſt; & omnia, avariſſimum.*

XVI. Hæreditatum, fideicommiſſorum, legatorum agnitione qualis contrahatur obligatio.

XVI. Agnitio vel acceptatio delatæ hæreditatis, fideicommiſſi aut legati itidem videtur eſſe *συνάλλαγμα* & obligationis contrahendæ modus: Et quidem ἐπιρρητῶς, *in condictis* ſ. expreſſa ſuſcipitur obligatio, quando hæres, fideicommiſſarius, legatarius *ſub conditione*, ut loquuntur, *poteſtativa* delatam, fideicommiſſove oneratam hæreditatem, vel legatum, vel fideicommiſſum agnoſcit: Expreſſa enim voluntas defuncti in diſpoſitione ejus legitime ordinatâ & morte ejus confirmatâ, vel per ſcripturam, vel per teſtes horumque teſtimonia quaſi adhuc loquitur, & delatum vel hæreditatis, vel legati, vel fideicommiſſi beneficium acceptanti declarat obligationem cum eo conjunctam, citra vel ante cujus aut ſuſceptionem aut adimpletionem nec illud poteſt acquiri. Quisquis verò talia judicio defuncti ſive expreſſo ſive tacito (quale ſucceſſioni ab inteſtato ſubeſſe docet Grot. *de I. B. & P. lib II. cap. VII. §. 10. 11.*) purè & ſine omni onere ſibi delata ſuſcipit, certe ad honorem memoriæ defuncti ſervandum & gratam beneficii ab eo accepti recordationem ſi non & civili, ſaltem naturali jure adſtringitur, etiamſi defunctus nullam ejus rei mentionem expreſſam reliquerit: Atque ex illius tacitæ obligationis conſcientiâ proficiſcuntur *monumenta* honori defunctorum ab hæredibus injuſſis erecta, annuæ ac ſolennes memoriæ legatorum ad pias cauſas, eleemoſynarum ſtatis temporibus diſtributio, &c.

XVII. Obligatio ex beneficio accepto gravior eâ quæ ex credito deſcendit.

XVII. Quæ ex beneficio accepto naſcitur obligatio ad

ἀντίδωρα

ἀντίδωρα propemodum gravior videtur eâ quæ expreſsâ conventione definitur: huic enim verba paciſcentium ponunt terminum; ibi verò beneficæ voluntatis propenſio pondus beneficio addit; adeò ut beneficia velut cum ſuperpondio, *cumulatiore menſurâ* ait Cicero, referenda ſint; pacta expreſsè conventa tantùm præcisè implenda. Optime Seneca: *Diligentius quærendus eſt beneficii quam pecuniæ creditor: huic enim reddendum eſt quantum accepi; & ſi reddidi, ſolutus ſum ac liber: at illi plus ſolvendum eſt; & nihilominus etiam relata gratia cohæremus: debere enim cum reddidi rurſus incipio.* Senec. *2. de benef. 18.* Gothofr. *in libris aureorum ex Senec. in Jurid. t. de reb. cred. p. 162.*

Supr. c. 4. §. 12. pr.

XIIX. Quibus modis tollitur obligatio. De Solutione, remiſſione, demerito. De præſcriptione & confuſione obligationum.

XIIX. Exſtinguitur autem obligatio 1. ſatisfactione, *l. 9. §. 2. ff. de pignerat. act.* ad quam pertinet *ſolutio*, *datio in ſolutum*, *ceſſio*, *delegatio* &c. 2. remiſſione, quæ vel per acceptilationem fit, vel per pactum de non petendo: Huc ſuo modo quoque pertinet renunciatio & præſcriptio: illa ſi re adhuc integra fiat, fingitur conjunctam habere tacitam remiſſionem vel mandantis vel ſocii cui ſocietas renunciatur; quippe qui ſibi quoq; dicto modo & ſine fraude alterius renunciandi facultatem reſervaſſe creditur: & præſcriptio ex diuturno creditoris ſilentio ſcientis ſe jus crediti habere ſupponit tacitam ejus remiſſionem, conf. Vaſq. *p. 1. contr. illuſtr. c. 76. n. 5.* 3. Per injuriam à creditore vel beneficii collatore debitori illatam quod ſcholaſtici *demeritum* vocant, exemplum hujus affert Vaſq. *contr. ill. qu. p. 1. c. 72. n. 4.* ex *l. Divus ff. ſi à par. quis manum:* quâ filium quem pater male contra pietatem affecit, emancipare cogitur. Sic & ſervi à dominis durius habiti quàm æquum erat, vel infami injuria affecti, cum ad ſtatuam confugiſſent, à Magiſtratu impetrabant ut in poteſtatem domini reverti non tenerentur, *§. 2. I. de his qui ſui vel alieni juris.* Sic & qui proprie vocatur creditor ſi vim adhibuerit debitori

debitoris ſuo ut ſolveret, jus crediti amittit, *l. 12. l. 13. ff. quod met. cauſ.* idem contingit ſi creditor debitori moribundo moleſtiam intulerit, *Novell. 60. c. 1.* 4. per *interitum rei* in obligationem, deductæ ſine culpa & ante moram debitoris contingentem exſtinguitur quoque obligatio ex conventione in quam præciſe res aliqua, non etiam in eventum ejus æſtimatio deducta fuit, v. *l. 107. ff. de ſolut. l. 23. ff. de V. O.* Denique 5. *morte* vel *debitoris* vel *creditoris* qui mere perſonalem nec in heredes aut ſucceſſores tranſitoriam contraxerunt obligationem exſtinguitur debitum. Cum in eandem perſonam jus creditoris debitorisque devenit, per *confuſionem* crediti & debiti obligationem exſtingui docent leges civiles *l. 75. l. 95. §. 2. l. 107. ff. de ſolut. & liberat.* Sed & naturaliter ita tollitur obligatio, ac vel pleniſſima ſolutio intervenire fingitur cum creditor debitoris hæreditatem adit; vel pleniſſima remiſſio, cum debitor creditoris hæres exiſtit. Saltem nomen confuſionis, acceptilationis, pacti de non petendo, uti nomina quævis, ex impoſitione ſunt; ipſa res & per ſolutionem ac remiſſionem exſtinctio obligationis ex naturali jure deſcendit.

XIX. Probationes forenſes quem in finem, & quibus occaſionibus introductæ.

XIX. Quandoquidem verò obligationum & conſtitutarum, & contractarum, & diſtractarum veritas, ſæpenumero alteri v. c. judici demonſtranda eſt; ad hunc finem obtinendum recepta ſunt varia *probationum genera*, v. c. ſcripturæ, teſtes, jusjurandum &c. quibus introducendis occaſionem dedit tum improbitas, *facti* ſeu geſtorum aut falſorum *allegatione* alios convenientium, aut verorum *inficiatione* aliorũ conventioni ſeſe ſubducere conantium, tùm etiam ipſa rerùm humanarum viciſſitudo, & caſus mortalitatis. Scilicet plurimæ *obligationes* ſuſceptæ & à debitore vivo non adimpletæ in hæredes devolvuntur, & *jus crediti* quoq; in hæredem creditoris tranſit: uterque autem

negotium ex quo obligatio deſcendit, utpote non ſuum ſed alienum & prædeceſſoris ſui factum probabiliter ignorare poteſt, & ut uterque quidem citra culpam ſuam, ſic poſterior non citra ſuum præjudicium. Igitur ad *fidem factorum* poſteritati, aut, contrahentibus licet adhuc ſuperſtitibus, ſaltim alteri quoque faciendam, quoniam & judex mortalis *alieni facti* ſcientiam citra documenta & probationes ejus legitimas habere non poteſt, introducta ſunt ante memorata *argumentorum* genera; quorum plenior declaratio non eſt præſentis loci.

XX. Species iniquarum commutationum.

XX. Singulis enumeratarum commutationum ſpeciebus intervenire poteſt iniquitas; ac nonnullæ ſtatim ab initio ſunt iniquæ; aliis verò rectè initis ſupervenit iniquitas: Illis accedunt aliæ commutationum ſpecies, Romanis JCtis *maleficia* appellatæ; Ariſtoteli, *συναλλάγματα ἀκούσια, commutationes invitæ.* Sed hoc nomen iis quoque attribui meretur conventionibus, quæ dolo malo, vi, metu, aliasque adverſus præſcripta legum fiunt, etſi in ſpeciale delicti nomen ſingulæ illarum haud tranſeant; quæ ipſæ tamen, quando nec dolo, nec metu, nec vi, nec adverſus leges ineuntur, ſunt *ἑκούσια συναλλάγματα*, commutationes ſpontaneæ. Adeoque quædam commutationes iniquæ initium habent licitum, quædam & illud vitioſum; utpote juris permiſſione, ac propterea facultate defectæ. *v. ſupr. c. V. §. 10.*

XXI. Species iniquarum commutationum. Quot modis minus ſolvatur. Species commutationum quæ ab initio iniquæ ſunt.

XXI. Commutationibus beneficis & ſine expreſsâ retribuendorum conventione initis ſupervenit iniquitas ſi accepto beneficio reponitur (1.) aut minus quàm acceptum, (2.) aut nihil, (3.) aut etiam injuria. Minus quatuor modis refertur, *re vel quantitate, tempore, loco & cauſa; Re*, ſi rei quam retribui geſtit minus quàm exſpectatur; *tempore*, ſi tardius ſolvit *l. 12. §. 1. ff. de V. S.* plus enim eſt ſtatim aliquid dare; *minus* eſt, poſt tem-

pus

pus dare §. *l. ſ. de fidejuſſ.*; loco, ſi alibi quàm ubi exſpectatur; *causâ*, ſi aliud quàm quod ſperatur. In jure civili minus quoque reddi dicitur ſi plane nihil retribuatur, *l. 7. §. 2 ff. de tribut. act. l. 32. ff. de V. S.* Primi commutationum generis poſteriori ſpeciei, ubi de faciendâ retributione pacto expreſſo, legibusve ac moribus civitatis conſtitutâ fides habetur, ex iisdem cauſis adeſt iniquitas; cujus tamen interpretatio manifeſtior; utpote certâ obligatione, ad cujus menſuram retributio exigenda; cum in altero illo genere quid, quantum, quomodo, ubi, quando retribuendum, incertæ voluntatis conjecturæ ac velut divinationi relictum ſit. Utriusque primi generis ſpeciei communis eſt iniquitas fluens ex *errore in rerum commutandarum exæquatione* admiſſo; ſive unius dolus ſit cauſa erroris, ſive utriusque inſcitia: Quippe v. c. *non intereſt emtoris cur fallatur, ignorantiâ venditoris, an calliditate, l. 1. §. 2. ff. de Ædilit. edict.*; qui verò ſciens volensque ſibi damnoſam facit æſtimationem, donare præſumitur quod plus reponit *l. 38 ff. de contr. emt.* Omnium in commutationibus poſitarum iniquitatum craſſiſſima eſt, ubi initium commutationis eſt vitioſum, ſive, ubi vis, metus, dolus dat cauſam conventioni; aut ubi alias vel apertâ vi, vel occultâ fraude, vel negligentiâ, vel affectu aliquo citra fraudem ac dolum infertur nocumentum ſive corpori, ſive famæ, ſive animo, ſive rebus corporalibus ac incorporalibus earumque uſus impeditur; hinc mutilationes, vulnera, verbera, convicia, corruptelæ, furta, latrocinia, actus turbativi in uſu, in poſſeſſione rei vel juris, & ceteræ maleficiorum figuræ.

CAPUT VI.

Quæ ſit ratio corrigendæ iniquitatis commutationum, ad damnum ſarciendum pertinens.

§. I.

Quodnam ſit objectum juris privati & judiciorum civilium. Quis

modus corrigendæ iniquitatis inter beneficium vel donum dantem & accipientem.

NEceſſitatem corrigendæ iniquitatis jam ſupra demonſtravimus; hîc de modo illius quâ inæqualitas ad æqualitatem reducitur, commodumque indebitè negatum *tribui*, aut contra jus imminutum *reſtitui*-procuratur, præter ea quæ *ſupra c. 4. §. fin.* jam docui, pauca ſunt anneƈtenda: Integrè enim hoc argumentum exequi tanti operis eſt, quanti totam juris privati, judiciorumque civilium doƈtrinam interpretari. Quisquis poteſtati ſuæ ſubjeƈtum habet eum cui beneficia exhibet, virtute imperii poteſt ad officii debiti executionem compellere immorigerum. Quem verò pater aut dominus è poteſtate ſua dimiſit filium aut libertum, ex cauſa ingratitudinis ſub poteſtatem revocare permittitur, *l. un. C. de ingrat. lib. Nov. 78. c. 2.* Simili modo donator merus & abſolutus ex causâ ingratitudinis rem donatam revocare poteſt, per *l. ult. C. de rev. don.*; Sed & ex *l. Si unquam C. eod.* poteſt donationis revocatio fieri: Atque hæc, ſi beneficium in dando conſiſtat, eſt æqualitatis reduƈtio.

II. Retraƈtatio promiſſionis operæ gratuitæ. Amiſſiones jurium, beneficiorum, dignitatum privilegium &c.

II. Operæ gratis præſtandæ promiſſio tùm ex aliis juſtis cauſis, tùm ex causâ ingratitudinis poteſt retraƈtari; & quod aliàs gratis fuiſſet præſtitum, ſi præſtatio jam habuit initium, converti poſſe videtur in retributionis, velut ex condiƈto faciendæ, neceſſitatem, quam aliàs, maximè ex causâ impotentiæ, remiſiſſet. Ex causâ ingratitudinis deſcendunt quoque amiſſiones commodi ex teſtamento & ab inteſtato ſuccedendi, legatorum fideicommiſſorumve percipiendorum, *v. l. 9. §. 1. ff. de his quæ ut indign.* nec non feudorum, beneficiorum Eccleſiaſticorum, & dignitatum poteſtatumq; civilium, privilegiorum & immunitatum. Sed ubi non tàm reponitur commodum ablatum, quàm indigno collatum

collatum adimitur promiſſumve negatur, his caſibus poſterior correction:s ſpecies, quæ *pœnam privativam* continet, ſubeſſe dicenda eſt: niſi forſan retributionis non tantùm non factæ, ſed & damni per injuriam dati qualem qualem penſationem eô modô fieri ſtatuendum? Et ubi promiſſum nondumque traditum beneficium ingrato negatur, majori inæqualitati velut obviam itur, & cautio opponitur.

III. Ratio exæquationis commutationum iniquarum quæ in condictis verſantur. Actiones ad implementum contractuum. Extraordinariæ cognitiones de honorariis. Reſciſſiones contractuum, &c. Actiones Ædilitiæ.

III. In eâ quæ *in condictis* vel *quaſi in condictis* verſatur conventione, (dicit autem ſeu declarat retributionis faciendæ quantitatem & modum vel oratio paciſcentium, ut in contractibus *ſtricti juris*; vel lex aut mos civitatis, ut in contractibus *bonæ fidei*; in aliis ſola beneficium accipientis conſcientia eique impreſſum juris naturalis dictamen dicit quid, quantumque, & ubi, & quomodo retribuendum;) ſi fides de implendâ obligatione habita violetur, ad *idem* quod debet, aut æſtimationem ſive *tantundem* reponendum debitor compellendus eſt; habitâ inſuper pro re natâ ratione lucri ceſſantis & damni emergentis, ob culpam obligationi non ſatisfacientis. *l. un. C. de ſent. quæ pro eo quod intereſt.* Hûc pertinent actiones ex contractibus pactisque conventis, quæ ad eorundem implementum intentantur; item extraordinariæ cognitiones, quibus honoraria decernuntur illis queîs fori conſuetudo & judicii ea petere concedit; *v. l. 1. ff. de extraord. cognit.* In iis quæ formaliter aut velut e manu in manum, *ſive brevi ſive longa*, fiunt commutationes, ſi res datæ ac redditæ contra voluntatem minus habentis ſint nimis inæquales, aut repeti res minoris vendita, aut ad precii ſupplementum agi poteſt: & *l. 2. C. de reſc. vend.* ejusmodi enormiſſimam læſionem in emtionibus corrigit; cujus legis diſpoſitio

l. 47. §. 1. ff. de jure dot. l. 79. ff. de ſolut. & liberat.

& ad tranſactiones, ad locationes, ad renunciationes tantâ cum læſione conjunctas extenditur. v. Vaſq. *Part.2. Contr. lib.3. c.61.* & Gothofr. *ad d. l.* Pertinent hûc actiones Ædilitiæ, quanto minoris, & redhibitoriæ, *t.t. ff. de Ædilit. edict. & redhib. & quanto min.*

IV. Varia juris civilis remedia redintegrandarum læſionum.

IV. Ceterarum, quæ ab initio per vim, metum, dolum iniquæ ſunt, commutationum aliarumque læſionum, jure civili non eſt una communis omnium, ſed ſingularum propè ſpecietum propria exæquatio & neglectæ æqualitatis reductio. Hûc pertinent actio & exceptio doli, reſtitutio in integrum adverſus contractus, tranſactiones &c.; actiones ad reſtitutionem aut ſolvendam *æſtimationem* rerum ablatarum, extortarum, corruptarum; quæ in duplum, triplum, quadruplum conceptæ aut *in ſolatium* inflicti doloris ex metu, violentiâ, fraude, *læſi gratia;* aut in ſimilis facti *fugam lædenti* afferendam ſunt introductæ. Reſtitutiones poſſeſſionum unde quis vi dejectus, mandata *manutenentiæ*, de non turbando &c.; multæ damnum patienti ſolvendæ; reſtitutio famæ in judiciis, quibus de injuriâ illatâ agitur, hinc *emenda honorabilis;* omniaque quæ, ut, quisquis (1.) injuſtè damnum paſſus, aut (2.) ex conventione haud vano metu erroreve initâ paſſurus eſt, vel (1.) non ſponte relictum commodum, aut idem aut quadamtenus ei æquivalens *recipiat;* vel (2.) ſuum minus rectè alteri promiſſum *retineat,* jure civili inducta ſunt media, ad eundem juris civilis locum pertinent qui de damno vel cavendo, vel ſarciendo agit. In judiciis vero à judice illatæ læſiones per *appellationem* & huic cognata remedia corriguntur; eundemque juſtis ex cauſis ſuſpectum ad præcavendam ab eo imminentem læſionem ante judicium acceptum *recuſare* permiſſum eſt.

V. Quod vim præſentem vi repellere liceat; illatam verò injuriam atque vim nemo niſi Magiſtratus jure corrigat atque coërceat.

V. Ad

V. Ad eas quibus damna & læſiones præcaventur agendi rationes cumprimis pertinet *defenſio* adverſus injuriam & vim intentatam: Nam *adverſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere*, ut eſt in *l.4.ff.ad l. Aquil.* Sed præſentem vi atque injuriæ præſenti opponere licet defenſionem; & ſic quæ nullo jure infertur læſio, jure declinatur atque avertitur: Ceterum jam illata damna ac læſiones corrigendi & coërcendi poteſtatem naturalis quoque ratio Magiſtratui attribuit; qui alias inane nomen habiturus erat, ſi unusquisq; ipſe ſibi adverſus injuriæ auctorem jus dicere & aut damnum ex ejus bonis reſarcire, aut vindictam de eo ſumere permitteretur. Civilia jura hujuſmodi *αὐτοδικίας* adeò deteſtantur, ut domino rem ſuam, creditorique rem ſibi debitam à poſſeſſore vel debitore *non per judicem* ſed *per vim* repoſcenti *dominium* ejus rei & *jus crediti* adimant, ulterioremque inſuper pœnam determinent, *v. §. 6. l. de interd. l. 12. l. 13. ff. quod met. cauſ.*, ac dejecto vix permittant dejicientem per vim iterum *ex continenti* dejicere, *l. 3. §. 9. ff. de vi & vi armata.*

CAPVT VII.

De æſtimatione delictorum & pœnarum, ac harum finibus & ſpeciebus.

§. I.

Duo præparatorii actus ad coercitionem delictorum neceſſarii. Quid ſit menſura delictorum. Quomodo delictorum gravitas æſtimetur 1. *ex voluntate delinquentis* 2. *ex qualitate damni.*

AD poſteriorem correctionis ſpeciem, i. e. *coërcitionem, pœnaq; inflictionem* rectè inſtituendam velut præparatorii actus requiruntur *æſtimatio delicti & pœnæ*, & mutua horum *exæquatio*; quâ antegreſsâ, delicto æqualis pœna irroganda venit, id quod ſupra *cap. IV. §. 10.* oſtenſum eſt. Omnis *pœna* ſupponit *reatum*, hic verò ex *delicto* manat; de utroque ſupra *c. 3. §. 6.* dictum

dictum. Sed hoc argumentum jam quidem pro dignitate exequi non vacat: Ne tamen hujuſce rei nihil omninò hîc attingamus, *de menſuris delictorum & pœnarum* harumque finibus & ſpeciebus pauca delibare viſum, & reliqua tempori magis opportuno tranſcribere. Per menſuras delictorum idem jam intelligo quod ſupra in genere notavi, *c. IV. §. 11.* nempe *principia æſtimativa quantitatis ſive magnitudinis delictorum*; quæ tùm in ſe ponderantur, tùm cum aliis comparata delictis: comparantur verò cum aliis vel homogeneis, v. c. furtum cum furto; vel heterogeneis, v. c. furtum cum adulterio. Magnitudo delicti in ſeſe ſpectâtur exigendo ad præſcriptum legis illius circumſtantias; in quarum numero aliæ ſunt quæ *aggravant*, aliæ quæ *minuunt*: Et doctrinæ quidem causâ ſingulæ quæ aggravant minuuntve rationes ſeparatim proponendæ; in cujuslibet autem delicti æſtimatione omnes conjunctim ponderantur. Primùm aggravat *voluntas delinquendi*, quæ quò magis deliberata, aut magis ferina, eò delictum gravius: *v. ſupr. c. 2. §. 3.* hinc & in eadem ſpecie delicti comparationem inſtituimus; quod *Ariſt.* præclarè exequitur *V. Nicom. IIX, §. 14. ſeqq.* quem locum integre deſcribit & laudat *Grotius de I. B. lib. 3. c. XI. n. 4.* Proæreſin indicat quoque vel ejusdem vel alterius cujusdam *delicti iteratio*, quæ quàm maxime aggravat; hinc *vitæ* delinquentis *anteactæ* habetur *ratio*; & τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸ ἁμαρτάνειν, μέγα. (I. Rhet. XIV. n. 9.) Deinde momentum delicto adjicit *quantitas damni* injuriâ dati, prout illud reparabile aut irreparabile, uni aut pluribus infertur, præſentiſſimum aut minus præſens periculum habet conjunctum; Unde Plutarchus cit. Stob. tit. 52. *Non licet in bello bis delinquere.* Et Xenophon, Exped. Cyri lib. V. *Minima tunc peccata facilè omnia perdere ac peſſundare poſſunt.* Hinc & homogenea & heterogenea inter ſe comparantur, v. c. cædes privati & cædes Principis; alapæ incuſſio & oculi effoſſio, &c. Hûc videtur pertinere *eventus*, qui vel reſpondet intentioni delinquentis, vel eam non conſequitur, eò quod

vel

vel noluerit, vel non potuerit ad exitum perducere quod pravâ mente conceperat; unde *delictum* aut *conſummatum* aut *attentatum*, aut ſaltem *animo conceptum:* ac nonnulla, quantum ad agentem, conſummata ſunt, eventu tamen, quem intentio ſpectaverat, deſtituuntur. Regulariter tamen conſummata delicta gravius coërcentur quam attentata *v. l. 1. §. 2. & ibi* Gothofr. *ff. de extraord. crim.* Et ſic ἐκ τοῦ βλάβους τὸ μεῖζον κρίνεται, *ex nocumento æſtimatur delicti magnitudo*, 1. Rhet. XIV. n. 4.

II, 3. Quomodo delictorum gravitas æſtimetur ex qualitate perſonarum. it. ex delinquentium multitudine, & aliis circumſtantiis.

II. Tertium quod delictis præcipuum pondus addit, eſt *Qualitas perſonæ* tùm delinquentis, tùm ejus cui læſio infertur vel intentatur, & *reſpectus inter lædentem ac læſum*; qui quo *arctiori* aut *laxiori* obligationis vinculo lædenti conjunctus, eò gravius aut levius eſt delictum. Unde Ariſt. IIX. Nicom. IX. τὰ ἄδικα αὔξησιν λαμβάνει τῷ μᾶλλον πρὸς φίλους εἶναι, *Injuriæ incrementum accipiunt eò quod magis amicis inferuntur.* Amicitiæ verò intenſionem non tantùm ex noſtro affectu, ſed & ex naturæ inſtinctu atque ordine decet æſtimare; ſpectandumque, *quænam* aut quorum amicitia *eſſe debeat*, non autem *quænam ſit* arctiſſima: Negligi enim poſſunt ac ſæpenumerò negliguntur ii quos Natura alicui voluit eſſe conjunctiſſimos. Et præter amicitiam conjunctionemque *ſecundum gradum dignitatis vitæque honeſtatem* creſcit aut minuitur æſtimatio injuriæ. *§. 7. I. de Injur.* Ex his duobus principiis conjunctim ſumtis infertur, graviſſima eſſe delicta quæ proxime ſeu immediate adverſus *divinam majeſtatem* committuntur, veluti blaſphemia, apoſtaſia, &c. proxima his, quæ adverſus *patriam* & *Rempubl.* deinceps quæ adverſus *parentes*, & ſic gradatim adverſus reliquos perpetrantur, vid. ſupra *c. 2. §. 12.* Ipſius quoque delinquentis dignitas aut vilitas in æſtimatione delicti attenditur: Huc pertinet illud:

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Hoc tamen in æſtimatione injuriarum non ſemper procedit; *Quædam injuriæ*, verba ſunt *l.17. §. ff.* de injur. *à liberis hominibus factæ levis nonnullius momenti videntur; enimverò ſi à ſervis, graves ſunt: Creſcit enim contumelia ex perſona ejus qui contumeliam fecit.* Multitudo ſimul idem delictum perpetrantium graviori coërcitione reprimenda eſt, ſiquidem id ſine periculo poſſit fieri; alioquin venia opus eſt, uti in ſeditione integrarum nationum & exercituum; quæ tamen venia quandoque tantum temporaria eſt & pœnam non tam remittit quam differt. conf. Grot *de I.B. & P. lib.3. c. XI. §. 17.* & Tacit. *III. A. 52. 53.* Tandem & *Locus*, & *Tempus*, & *Modus*, & *Inſtrumenta*, & *Adjuvantia*; v. c. ſi quis propriâ, aut famuli manu, gladio aut fuſte aliquem percutiat, certa delictis momenta adjiciunt, vel negant; § *9. I. de Injur.* Ariſtot. *I. Rhet. c. XIV.* Et ad hæc conjunctim reſpicientes oportet æſtimare delictorum magnitudinem.

III. Ex quibus circumſtantiis pœnarum gravitas judicetur.

III. Pœnæ magnitudo itidem pluribus æſtimatur rationibus; 1. Ex *perſonæ* eam miniſterio ſuo irrogantis *qualitate*, ſi carnifex eam exequatur, aut commilitones, aut aliàs vir honoratus 2. ex *quantitate* & *qualitate* aut *bonorum* quæ adimuntur, aut *malorum* quæ irrogantur; nempe ſi fortunis, ſi exiſtimationi, ſi dignitati detrahatur, quæque ſalvâ vitâ poſſunt eripi auferantur, dolore corpori ſimul inflicto; ſi libertas eripiatur; ſi labor perpetuus in ergaſtulo, in navi, in officinâ aſſignetur, ſi ipſa denique mors ultima rerum mortalium linea acceleretur. 3. ex *loco*, ſi in publico, ſub dio, plurimis inſpectantibus; 4. ex *tempore*, ſi noctu aut interdiu. 5. ex *modo*, ſi dolor infligatur incarceratione, fuſtigatione, ſtigmate, amputatione membri; ſi vita adimatur gladio, capite à cervicibus abſciſſo, (quod ſupplicii

genus

genus honeſtiſſimum habetur, v. Xenophon *de Exped. Cyri lib. 2. in fin.*) rotâ, laqueo, vivicremio, culeo, cæterisque modis qui terrorem injuſtis afferunt, probitati innoxiæ tutelam.

IV. Quinam ſint pœnarum fines.

IV. Finis propter quem delictorum coërcitio ſuſcipitur interdum eſt *emendatio delinquentis*, ut is dolore adhibito à delicti iteratione deterreatur, αἱ κολάσεις ἰατρεῖαί τινές εἰσι· ait Philoſ. *II. Nicom. III.* Et in omni ſupplicio per quod vita naturalis eripitur hactenus ſpectatur *emendatio & terror* cæterorum qui pœnam irrogari vident vel audiunt; hinc nomen *exemplaris pœna* & in vulgi ore. In omni ultimo delinquentis ſupplicio reſpicitur quoque *ſalus Reip.* quæ per improbos homines impeditur; & hoc reſpectu tàm extraneis quàm ſubditis delinquentibus pœna jure irrogatur. Præclare *l. 3. ff. de offic. Præſ. In mandatis principum eſt, ut curet is qui provinciæ præeſt, malis hominibus provinciam purgare; nec diſtinguitur unde ſint.* Præter hoſce fines qui invicem aut *coordinari* i. e. unus juxta alterum vel una cum altero expeti, aut *ſubordinari* poſſunt, ſc. ut unus propter alterum expetatur, alius adhuc eſt quem æterna & immutabilis juſtitiæ ratio reſpicit, nempe ut *qui malè fecit, malum ferat*, ſeu ut cuique quod meruit tribuatur, idque ſeu bene meriti præmium, ſeu malè meriti ſupplicium. Ex hac lege homines impii non deſituris poſt mortem ſuppliciis mactandi venient: Agnovit hanc poſt obitum improbis imminentem pœnam & Plutarchus in libro *de ſerâ Num. vindicta*; locum egregium tanquam coronidem hîc apponam: οὔσῃ δὲ τῇ ψυχῇ μετὰ τὴν τελευτὴν. μᾶλλον εἰκός ἐστι καὶ τιμὰς ἀποδίδοσθαι καὶ τιμωρίας. ἀγωνίζεται γὰρ ὥσπερ ἀθλητὴς κατὰ τὸν βίον, ὅταν δὲ διαγωνίσηται, τότε τυγχάνει τῶν προσηκόντων. *Ergo animæ poſt mortem exſtanti magis probabile eſt vel præmia vel pœnas reddi; vitam enim quaſi certamen quoddam obit, & certamine peracto conſequitur quod meruit.* Quæ poſtrema propè gemina ſunt illis S. Pauli *II. ad Timoth. epiſt. c. IV. n. 7. 8.*

V. Quænam ſit juſta pœnarum proportio.

V. Ex jamjam memoratis finibus pœnarum *modus* earundem quoque æſtimari debet, ut *leviora* delicta *levioribus*, *graviora gravioribus*, ſingula *competentibus* pœnis coërceantur: Tantâ nempe unumquodque, quanta ſatis eſt aut ad emendandum delinquentem, aut ad abſterrendos reliquos qui delicti ſimilis perpetrandi occaſionem arripere poſſent, & nî pœnæ metus obſtaret, auderent; aut ad tollendum è Republ. malum emendari neſcium, & præcavendum ne publica ſalus iterum ex tali ſcelere periclitetur; aut denique tantâ quæ omnibus etiam ante dictis finibus ceſſantibus delicto admiſſo æqualis eſt, ita ut par pari referatur: *εἰ δὲ μὴ, δουλεία δοκεῖ εἶναι· quod nî fiat, ſervitus videtur exiſtere*, Ariſtot. *V. Nicom. V. 9.* vel minimum ejuſmodi ſtatus in quo ſuperior dignitatem ſuam impune imminui, contemni eique detrahi patiatur; id quod contra naturalem cujuslibet inclinationem eſt, dum unusquisque naturali inſtinctu in ſuo ſe ſtatu conſervare laborat. Quod igitur *juſta* & *competens* pœna ſit ea quæ finibus ad quos illa ordinatur obtinendis idonea, ex hiſce manifeſtum evadit.

VI. Species pœnarum ex cauſis earum deſcendentes.

VI. Species pœnarum pendent 1. ex *causâ efficiente*, hinc alia *divina*, alia *humana*; hæc aut *privata*, cujus ſpecies eſt paterna caſtigatio filii; aut *publica*; quæ aut *ſecularis* aut *eccleſiaſtica*. 2. ex *objecto* videtur eſſe quod alia *poſitiva* alia *privativa* dicitur; hæc detractionem aut negationem boni cujusdam, illa doloris, v. c. per verbera, cruciatus corporis, inflictionem continet. 3. ex causâ *formali* maxime eſt quod alia *juſta* alia *injuſta* vocatur, ut §. proxime antecedenti & ſupra *c. IV.* §. *12.* oſtenſum. Alio modo quædam dicitur *jure* impoſita, ſc. ab eo cujus jurisdictioni delinquens ſubjectus, quædam vero *non-jure* impoſita, qualis etiam eſſe poteſt quæ delicto quidem proportionata, ſed non ab eo decreta vel irrogata qui jus delinquentem coërcendi habuit;

atque.

atque hæc diviſio ex cauſâ efficiente proficiſcitur, uti & illa cum pro diverſitate reatûs pœna dividitur, v. c. in *capitalem & non-capitalem.* 4. Ex cauſâ *finali* eſt, quod alia conſtituitur in *emendationem*, alia in *exemplum*, alia in *ſecuritatem* Reip. ejusve partium, quo pertinent maxime ſupplicia proditorum, & ea quæ remotis ſpectatoribus in occulto irrogantur; alia denique in *vindictam*, v. Grot. *de I. B. & P. lib. 2. c. 20. n. 4. ſ. 6.* Pœna divina aut eſt *temporalis* aut *æterna*; illa aut *occulta* aut *manifeſta*, cujus exempla tàm in ſacris literis quàm aliis ſcriptoribus memorantur, vid. Crantz. *Metropol. lib. 2. c. 22.* Externæ autem ſpecies pœnarum, ſc. quod alia fuſtigatione, alia ſuſpendio, alia decollatione, alia culeo, alia combuſtione infligitur, hæ & ſimiles pœnarum figuræ poſitivis legibus aut moribus ſunt introductæ; quod vel inde conſtat quoniam eadem delicta apud diverſas gentes diverſis ſuppliciis caſtigari deprehendimus; quæ autem à natura ſunt, aut ubique eandem, aut non ſanè adeò diverſam ſpeciem alibi atque alibi gerere noſcuntur, vid. Ariſtot. *V. Nicom. VII.*

VII. Utrum naturali jure permiſſa ſit alieni reatus ſuſceptio?

VII. Occaſione ejus quod pœnam jure & non jure irrogatam dixi, inſuper hîc etiam quæritur, an pœna jure irrogari poſſit non ipſi delinquenti, ſed alteri hujus reatum in ſemet ſuſcipienti, ſeque ultro offerenti ad pœnam pro illo ſubeundam? & maxime quidem controverſum hoc videtur ſi pœna corporis afflictiva, aut omnino ultimum quoque ſupplicium imponendum ſit: nam ſi forſan multam aliquis pro altero ſolvat, expromiſſoris aut negotiorum geſtoris officium egiſſe cenſeri poſſet. Negandum id videtur eò, quod nemo ſit vitæ ac membrorum ſuorum dominus, neminique naturaliter liceat in ſuum corpus ſævire; etiam ille finis pœnarum *ut malis hominibus provincia careat,* non obtinetur eo ſupplicio quod nocente præterito innocenti irrogatur; adeoque Magiſtratui ne quidem permiſſum eſt

hanc reatus alieni ſuſceptionem ratam habere; ſed ipſo quoque naturali jure nullam eandem pronunciare opus fuerit. Quod ex tali facto generis humani redemtio proceſſit, hoc ab eo ſuſceptum qui habuit jus ponendi animam ſuam; quale natura homini ſaltem eo caſu ſi extraordinariæ & verè heroicæ charitatis ſpiritu per ſui unius interitum plurium conſervationem ac ſalutem redimere poſſit conceſſiſſe videtur, conf. Petr. Muſæum *de lege civili Diſp. III. §. 9. 10.* Longe autem diverſa ratio eſt ſuppliciorum quæ paucis inter plures delinquentium irrogantur: illi enim pauci luunt proprii quisque delicti ſupplicium, nec poſſunt dici innocentes perire aut alieni delicti pœna gravari.

CAPUT IIX.

De Præmio.

S. I.

Deſcriptio pœnæ & præmii; hujusque affinia.

QUandoquidem in antecedentibus ſemel atque iterum præmii quoque facta eſt mentio, videl. *c. I.* §. *4 c. IV.* §. *5. c. V.* §. *8.* & *c. VII.* §. *4.*; & hæc quæ de pœnis ſuperiori capite dicta ſunt rei minus gratæ cogitationem in animo relinquunt, viſum eſt præmiorum mentione præſentem terminare diſſertationem. Uti verò *pœna* eſt malum quoddam malè agenti illatum ex eâ causâ quod malè egit; ſic *præmium* eſt bonum quoddam quod remunerandi causâ datur rectè agenti, eò quod rectè egit. Et hactenus quidem, quisquis habet beneficii conferendi vel donandi facultatem, idem quoque poteſt conferre præmium: objecto enim hæc conveniunt; idem quippe bonum quod alius ex liberalitate donat, cum alius in remunerationem virtutis & recte facti alicui confert, præmium appellatur: Semper autem præmium aut

aut à ſuperiori aut ſaltem à pari vel æquali videtur conſtitui. Sed quomodo ab aliis ei cognatis præmium differat paulo poſt erit manifeſtum.

II. De finibus præmiorum. An præmii collatio ex obligatione deſcendat.

II. Fines præmiorum ex adverſo reſpondent pœnarum finibus: aut enim ea decernuntur & tribuuntur ut ad majorem virtutem *excitetur* is qui præmium accipit; aut ut aliis quod imitentur *exemplum* proponatur; quo reſpexit Ulpianus in *l. 1. §. 1. ff. de I. & I.* bonos non ſolum *metu pœnarum*, verumetiam *præmiorum* quoque *exhortatione* effici exiſtimans: aut denique præmium ut virtuti congrua *remuneratio* reponitur. Ac in univerſum quidem præmiorum collatio, ni ſpeciali pacto ea conſtituta ac promiſſa ſint, non ex obligatione quadam, ſed ex liberâ conferentis voluntate pendet. Virtus quippe & quælibet recta ac præclara actio ipſa quoque ſui ipſius præmium eſt, & ſuſcipienda nullo etiam præmio ei propoſito.

III. Præmii forma; cauſa efficiens proxima & remota. Species præmiorum. Quænam videantur eſſe præmia, cum non ſint.

III. Interna præmii *forma* in ejus congruâ qualitate & quantitate conſiſtit, ut ſit *merito virtutis* cujus reſpectu confertur, *proportionatum*. Ex *cauſa efficiente* aliud eſt *divinum* aliud *humanum*; & hoc aut *privatum*, quale vel à patreſamilias tribuitur liberis; vel ex privatorum conventione deſcendit, v. c. cum duo pluresve privatum jaculandi exercitium inſtituunt, præmiaque dexteritatis conſtituunt; aut eſt *publicum*, quod publica auctoritate decernitur ac confertur; & hoc vel reſpectu virtutum intellectualium, quo pertinent *honores Academici*, vel ob merita in Rempubl. & virtutem bello aut pace exercitam. Ac remotior quidem cauſa efficiens & *cauſa meritoria* præmii eſt *actus virtutis*, ſive is antecedat, ſeu conſequatur virtutis habitum, iſti reſpondet primus,

huic

huic vero poſtremus præmii finis. Hinc ſequitur propriè præmia non eſſe quæ ob cauſam naturâ turpem conferuntur bona, quorum datio non minus atque acceptio probroſa eſt; qualia ſunt quæ aut patriæ ſuæ aut illius Reipubl. cui fidem ſuam vel tacitè vel expreſſe adſtrinxerunt proditoribus conferuntur; & hi plerumque *etiam iis quos anteponunt invisi ſunt*, ut Segeſtes exiſtimat apud Tacitum *1. Ann 58. 2.* Nec etiam quævis beneficia rectè vocantur præmia, ſed ea demum quæ liberalem ſive gratuitam rectè facti remunerationem continent. Cum donatione quæ vocatur remuneratoria præmium maximam habet convenientiam, eò ſaltem differt quod remuneratio beneficii ex naturali obligatione deſcendat, & magis contineat *bonum* aliquod *utile* cujus reſpectu etiam hæc remuneratio ſuſcipitur; præmium verò ex nullâ neceſſitate juris (niſi quando eſt promiſſum) confertur, eſtque *præclarè facti honorifica remuneratio.*

IV. Species præmii ab objecto deſumtæ. De præmiis in Rom. Republ. quondam uſitatis.

IV. In univerſum verò uti bonum aut eſt *honeſtum* aut *utile*, ſic & præmium aut nudum honoris titulum & ſplendorem continet, aut verò emolumentum aliquod cum honore conjunctum complectitur, conf. *ſupr. c.5. §.12.* illius generis apud Rom. erant triumphi, orationes, ſtatuæ, coronæ, item cognomina optimi civis, patris patriæ, magni, auguſti &c. hujus verò generis erant conſulatus, imperia, provinciæ, privilegia &c. vid. Bodin. *V. de Rep. c.4.* Et illa quidem v. c. coronæ gramineæ vel quercinæ, triumphi & ſtatuæ ſalvo ſtatu Reip. concedebantur; ſed poſteaquam ampli magiſtratus eorumque prorogationes & ipſa Reſpublica in præmium ceſſerant, tota rerum facies vertebatur, ut ex Hiſtoriâ temporum Julii Cæſaris manifeſtum. vid. Cic. *ad Attic. lib. VII. ep. 3. & 5.* Cæterùm gulæ aut carnis voluptates rectè factorum præmiis annumerare, planè abſurdum fuerit: Hinc Plato Orpheum ſubſannat, quod *iis qui vitam*

ſuam

ſuam recte egiſſent, præmii loco apud manes æternam crapulam paratam dixiſſet, memorante Plutarcho in Lucullo. Et in ſimili delirio verſantur Mahumetani, ut ex Alcorano oſtendit H. Grot. *de Ver. Rel. Chr. lib. 2. §. 9. n. 13.*

V. Num ſubditis liceat ab externo principe delata accipere præmia.

V. Utrum ſubditis permiſſum ſit inconſulto principe ſuo accipere præmia ab externo principe delata; & num ab exteris collatus honoris titulus domi quoque jus aut præcedentiæ aut aliud quoddam privilegium tribuat, Eliſabetha regnante in Angliâ diſceptatum fuit. Occaſionem controverſiæ & utriusq; partis argumenta refert Camdenus. Regina negantium ſententiam judicio ſuo comprobavit; quæ & biennio ante duos ſubditorum ſuorum equeſtri dignitate, quod *ipsâ inconſulta* à Galliarum rege Torquatum S. Michaelis ordinem *jurejurando præſtito* recepiſſent, in carcerem conjecerat, juſſeratque ut reſignatione facta inſignia remitterent, & curarent ut ex Ordinis illius commentariis nomina delerentur. Illuſtre hoc exemplum validis haud deſtituitur rationibus, inter quas præcipua eſt quod præſtito jurejurando tanquam ſubditi illum ab externo honorem receperant; idquod ſalva jurisjurandi religione quâ ad reginæ obſequia adſtricti erant fieri non potuerat; cumque dignitatis apud exteros acceptæ ornamentis ac juribus in Anglia frui illi vellent, quæ tamen inconſulta regina adepti erant, non poterat idipſum præjudicium non afferre dignitati ac juribus reginæ, cui ut principi cuivis permiſſum jura ac privilegia ſubditis ſuis ſuo non alieno arbitratu diſtribuere ac temperare, & non agnoſcere dignitatem ſubditorum ſuorum quæ non *ipſâ jubente* ſuſtineretur, ut eſt in *l. 5. C. de dignitat.* In Romano quoque Imperio Magiſtratibus non erat permiſſum accipere æneas vel argenteas vel marmoreas ſtatuas, extra Imperiale beneficium. Et in Republ. Venetâ ac Genuenſi quicunque vel eccleſiaſticas dignitates à Pontifice, vel civiles à Principe externo accipiunt, tanquam ſuſpectæ fidei homines ad publica munia non vocantur.

Camden. Hiſtor. Eliſab. in anno 1595. pag. 680.

Camden. d. tr. in anno 1594. pag. 630.

l. 1. C. de ſtatuis & imagin.

Camden. d. tr. in anno 1596.

VI. De premiis ab externo principe delatis quem effectum habeant & quænam licite quænam illicite accipiantur.

VI. Sed naturali quidem jure uti diſtricte præceptum non eſt virtuti *præmium* conferre, nî forte ad eam juris neceſſitatem quâ proximi & Reipubl. commodum promovendum, adeoque & virtus modis omnibus excitanda eſt, hoc *genus incitamenti* reducere velis, quo pertinent primi duo fines præmiorum ſupra §. 2. expoſiti; ita eodem jure quoque non eſt prohibitum virtutem remunerari, eamque vel in domeſtico, vel cive, vel peregrino æſtimare & congruo condecorare præmio. Atque uti in uno loco jure probata teſtimonii fides, ut in quovis alio probetur æquum eſt; ita & *virtutis teſtimonium*, quod omni proprie dicto *præmio ineſt*, ut hactenus ubique valeat in vim teſtimonii, ubicunque demum collatum fuerit, non minus æquum. Hinc videmus dignitatum gradus in unâ Republ. collatos, in aliis Rebuspp. hactenus quoq; æſtimari, ut ſaltem *titulus* & qualecunq; inde ſuſpenſum *jus præcedentiæ* ac ſimilium prærogativarum quæ indigenis eadem dignitate conſpicuis tribui ſolent, iis haud denegentur, licet ſpecialiora jura, v.c. facultas capeſſendi honores non niſi aut indigenis pateant, aut indigenarum jure donatis; quod jus in Galliâ impetratur per *literas* ut vocantur *naturalitatis*, Gothofr. *ad Novell. 149. c. 1.* apud Romanos conferebatur *conceſſione* uſus *togæ*, unde & quondam *Gallia togata*, i. e. jure civitátis Rom. donata. Gothofr. ad *l. 32. ff. de jure fiſc.* Verumenimvero uti in privatis cauſis interdum non caret ſuſpicione teſtimonium, & propter hanc fides ejus improbatur; ſic & illis quæ dixi virtutis teſtimoniis quandoq; ſi non & fides veri, ſaltem hoc derogatur ne proficiant ad obtinendum in Republica locum, quem obtinerent ſi à nativo, ut ſic loquar, non ab externo principe & forſan æmulo occultisque artibus graſſante proficiſcerentur. Et propter hanc cauſam Angli, Veneti aliique ſuſpecta habent virtutũ præmia ſubditis ac civibus ſuis ab extero principe delata: unde

unde non mirum ſi contra ejuſmodi præmiorum *detentores* quandoque velut ex interdicto *quod vi aut clam* procedatur, atque ita occurratur calliditati eorum qui alienos ſubditos præmiorum oſtentatione alliciunt. Ea quoque quæ pecuniarium aliquod emolumentum continent præmia, quando accipientem *ambiguæ fidei* ſuſpectum reddunt, tanquam *dona nocentium*, alto vultu rejicienda ſunt, vid. ſupr. *c. V. §. 15. in fin.*

VII. Honores Academici in extera Reip. Acad. collati quem effectum habeant.

VII. Honores Academici quos vulgo *Gradus* appellant, perinde ut aliæ dignitates & publica præmia auctoritate publicâ conferuntur; rarius quidem immediate à ſummo principe, frequentius tamen ejus auctoritate, judicio autem & decreto Collegiorum Academicorum. Hunc in modum reſcripſit Julianus Imp. *Quia ſingulis civitatibus adeſſe ipſe non poſſum; jubeo, quisquis docere vult, non repente nec temere proſiliat ad hoc munus; ſed judicio Ordinis probatus, decretum Curialium mereatur, optimorum conſpirante conſenſu.* Illos quoque honores ſpeciali quodam jure cenſeri vel ex iis qui *Noſtri* vocantur, manifeſtum. Equidem ut iidem in quacunque demum à ſummo aliquo Principe inſtitutâ aut confirmatâ Academiâ collati ſint, tùm aliquod maturæ aliisque docendis idoneæ *eruditionis teſtimonium* perhibeant, tùm etiam *jus cathedræ*, id eſt, *docendi* diſputationibusque publicis *præſidendi* facultatem tribuant, communi Chriſtiani Orbis conſenſu tacite receptum videtur, conf. Thom. Lanſius *tr. de Academ. p. 7.* Atque hactenus non videtur opus eſſe ſpecialibus pactis, qualibus Batavi ſub finem ſuperioris ſeculi ab Henrico Galliarum rege impetrarunt, ut *quæ Lugduni Batavorum eductis apud ſe ingeniis teſtimonia perhibuiſſent diverſarum artium Profeſſores, per Galliam valerent*, memorante illuſtri Hug. Grotio *Hiſtor. de reb. Belg. lib. 5.* Prout verò ab iisdem titulis Academicis ſuſpenſa eſt *capacitas* certorum in Republ. *honorum*, Magiſtratuum, officiorum, cuique

l. 7. C. de Profeſſor.

Reipubl. integrum eſt, utrum hæc *apud exteros* academicis illis honoribus auctis negare velit, an verò permittere: ne ſcil. una cum peregrinis illis titulis peregrini quoque & forſan diverſâ religione infecti mores Reip. obtrudantur. Ita Galliarum Rex Batavis id quod ab eo poſtulatum non ſine reſtrictione conceſſit: Auſſerhalb daß die daſelbſt (*Lugduni*) jhre *Promotien* genommen / in den Frantzöſiſchen hohen Schulen keines Vorleſers Ambt ſollen mögen bedienen. Meteran Hiſt. *de reb. Belg. lib. 18. in anno 1596.*, quæ exceptio maximè in odiū diverſæ religionis videtur adjecta. Cum autem in ſupremo Imperii judicio Camerali Aſſeſſores, exceptis qui ex illuſtribus & equeſtri ordine deſumuntur, eos demū recipi qui, (cæteris paribus) in Academiâ ab Imperatore aut Rom. Rege confirmatâ titulo ſive *Doctorū* ſive *Licentiati* inſigniti ſunt, ad Ord. Cam. *p. 1. t. 3. §. 2.* notant Interpretes, (vid. Dn. Jo. Deckherr. *Comment. de reb. Camer. Specim. 2. ad d. t. 3. §. 69. 75. 76. 77.*) juris & Imperii legum ac conſuetudinum ſcientiæ rationem cumprimis haberi, vel ex noviſſ. Receſſ. *de anno 1654. §. 28.* manifeſtum eſt.

IIX. Controverſiæ de præmiis; de diverſitate præmiorum in diverſis Rerumpp. formis, remiſſive.

IIX. De præmiis quæ virtuti militari aliisque exercitiis propoſita ſunt unam alteramque controverſiam erudite diſceptat Fern. Vaſq *Contr. illuſtr. p. 1. c. 90. 91. 92.* Quâ ratione pro diverſo Rerumpp. ſtatu diverſi generis præmia conferenda ſint, oſtendit Bodin. *de Republ. lib. V. c. 4.* & Beſold. *diſſert. de præm. c. 2.*

IX. De præmiis divinis, temporalibus & æternis.

IX. Deduxit nos præmiorum ordo ad ea quæ à divinâ Majeſtate conferuntur, quorum alia ſunt *temporalia*, alia *æterna*: ex illorum genere ſunt quæ Deus in Republ. Iſraëliticâ legum ſuarum præcepta ſervantibus propoſuit, Deuter. *XXIIX.*; ac cumprimis memorabile eſt præmium quarto decalogi præcepto annexum. De *æternæ vitæ præmiis*, quæ decreta ſunt & iis *qui ad juſtitiam erudierunt multos*, Dan. *XII.*, horumque *gradibus* ac *meritu* disquiſitio Theologicæ eſt ſcientiæ.

DE
JCTORUM PROPRIA FACTI SCIENTIA
ORATIO

Auctoris,

d. V. Auguſti CIↃ IↃC LXXV.

in novi Iuléi auditorio majori habita

cum

à

Sereniſſ. ac Potentiſſ. Brunſvic. ac Luneb.
Ducibus &c. &c.

Profeſſionem Juris publicam in Acad. Juliâ clementiſſ.
ſibi demandatam capeſſeret.

Magnifice Dn. Pro-Rector,
Viri Maxime Reverendi, Nobiliſsimi, &c. &c.

QUoties ex hac ſuperiore cathedrâ ad Vos verba fiunt, nunquam non ſubeſſe ſolet cauſa & occaſio memorabilis: Quod ſcilicet aut ſtudiorum præmia conferenda ſint eadem rite &, quod primarium eſt, meritô ſuô ambientibus; aut verò natalis Acad. Juliæ tàm precum publicarum devotione, quàm orationis ſolennitate celebretur; aut Sereniſſimis Principibus noſtris Acad. ſuæ viſitationem per legatos ſuos obeuntibus debitæ agantur gratiæ; aut quod Magnificus Acad. Pro-Rector Officii ſui poteſtatem vel promulget, vel reſignet & ſucceſſori relinquat; aut denique qui in ordinem profeſſorum receptus eſt, munus ſibi aſſignatum vel auſpicetur, vel obeat, vel deponat. Alias ex hoc loco publice dicendi occaſiones quæ acerbam recordationem excitare poſſent, lubens prætereo. Quæ me impulerit, ut toto Senatu Academiæ ſedente ac tacente, ego ad dicendum ſurrexerim, qui neque ingenio, neque eruditione, neque eloquentiâ ſum cum ullo virorum ampliſſimorum qui ſedent,

ſedent, comparandus, cauſa, ut opinor, nemini ignota eſt; abſque quâ ſane ſi fuiſſet, ipſe inter ſedentes & audientes maluiſſem atque omnino debuiſſem comparere, quàm ſurgere & loqui. At verò poſteaquam Sereniſſimi Brunſvicenſium ac Lüneburgenſium Duces, Acad. ſuæ Juliæ Nutritores Munificentiſſimi, Domini noſtri clementiſſimi Jurisprudentiæ in hac Acad. docendæ provinciam ſuperioribus ſeptimanis clementiſſime mihi aſſignarunt, hanc, uti more majorum fieri par eſt, in hoc ſplendido totius Acad. conventu inaugurali ſermone auſpicari & debui & volui. Vobis Auditores omnium Ordinum honoratiſſimi ante omnia maximas ago gratias, quod ſepoſitis laboribus ordinariis, præſentem horam meo honori impertire & præſentes eſſe volueritis. Fateor equidem officii mei jam eſſe, cum orantis perſonam ſuſceperim, ut ad laudem ſi non boni, ſaltem haud inepti oratoris obtinendam omnes ingenii mei nervos intendam, & tam rerum novitate & varietate quàm verborum elegantiâ ceteriſque quæ oratorem commendant ornamentis auditores meos delectare connitar: Verumenimverò quoniam in me non eſt tantum ingenii, nec tanta exercitatio dicendi, ut votis meis veſtræque exſpectationi me ſatisfacturum confidere poſſim, ſaltem hoc à Veſtra humanitate me impetraturum ſpero, ut quemadmodum navitam de ventis, de tauris aratorem narrantem, militem prælia quibus interfuit enumerantem cum delectatione audire conſuevimus; ita me in ampliſſimo hoc conſeſſu & florentiſſimâ civium noſtrorum concione *de jure civili*, cujus diſcendi gratiâ jam ante hos undecim annos hæc auditoria frequentavi, & impoſterum illius quoque docendi gratiâ eadem frequentaturus ſum, patiamini paulò loqui uberius, & in hujus mei muneris exordio declarare, HAUD EXIGUAM JURISPRUDENTIÆ PARTEM IN ACCURATA FACTI COGNITIONE VERSARI; quô ipsô ſimul patebit quam ego exiſtimem viam optimam ac certiſſimam ad ſolidam promptamq; legum & juris cognitionem Reipubl. olim

profu-

proſuturam: Etenim ſi prius illud evicero, demonſtraveroque non ſolam *juris*, ſed & hujus *applicationi ſubjectorum caſuum atque factorum* ſcientiam pertinere ad Juriſconſultum, alterum quoque hoc haud difficulter intelligetur, videlicet eâ demum ratione felices in legum ſcientiæ ſtudio progreſſus fieri, ſi unà cum generalibus juſti & æqui regulis, earumq; variis limitationibus & declarationibus, cum definitionibus item ac diviſionibus proponantur quoq; caſus ſingulares ſeu factorum ſpecies, ex quibus regula illa, definitio ac diviſio generatim tradita illuſtretur, atque ita *jus ad factum applicare*, ſeu de propoſitâ facti ſpecie ex legum præſcripto pronunciare, vel inter ipſa ſtudiorum ſuorum rudimenta ac tyrocinia legum ſcientiæ cupidi adoleſcentes paulatim & velut non animadvertentes edoceantur.

Quæſtiones facti non ad JCtos pertineant? Antequam verò in ipſum orationis meæ campum memet intromittam, in aditu ſtantes removendi ſunt, qui mihi objiciunt, *facti quæſtiones ad JCtos non pertinere:* Ita enim Cic. in Topicis: *Admonet*, ait, *hic locus, ut quæratur, quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem evenerit.* Nihil hoc ad jus; ad Ciceronem, (hoc pertinet) *inquibat Gallus noſter, ſi quis ad eum quid tale retulerat, ut* de facto *quæreretur*. Jo. Andreæ illuſtris Pontificii juris interpres ad Specul. rubr. de filiis Presbyter. *Precor*, ait, *ignoſcite, ad verba juris miſceo quæ ſunt facti.* Et ipſe Ulpianus inter legum ſcientes ſcientiſſimus; *Judicibus*, inquit, *de* jure *dubitantibus Præſides reſpondere ſolent; de* facto *conſulentibus non debent Præſides conſilium impertire.* l. 79. ff. de judic. Quæ ſanè dicta ſi omnem facti, rei ſeu cauſæ cognitionem JCto abjudicant, ſolâ juris cognitione ei relictâ, & ſi genuinus hic eſt dictorum verborum ſenſus, thema orationi meæ propoſitum non ſolummodo falſum fuerit & in omnes legum ſcientiæ cupidos ſubiniquum, utpote quibus præter ſcientiam juris, facti quoque accurate cognoſcendi ſolicitudinem injungit, & pro ſimplici geminatum imponit onus; ſed etiam in faciem, ut ſic loquar, contradicetur Alfeno pariter egregio

gio legum interpreti, IN CAUSA, i.e. facti circumſtantiis, JUS *eſſe* POSITUM affirmanti, & plurimis idem cum eo ſentientibus; inter quos Gu. Durandi quem communiter Speculatorem nominant effatum eminet, cenſentis, *prius conſtare debere de facto, quam diſputetur de jure; cum ex facto jus oriatur, & niſi ſit fundamentum facti, nullum bonæ allegationis poſſit ædificium ſuperimponi.* Et alius præclare; *non ante*, ait, *juris ratio quærenda eſt, quàm explorata ſit facti ſpecies.* Conr. Lag. *I. C. Meth. p. 5. c. 27. n. 14.* Nec, *pergit* Mev. *tr. de arreſt. c. 5. n. 27.* jus ſingulorum quod ex facto oritur definit judex, antequam de facto conſtet, quod divinare non debet. *l. 29. §. ſi cum deb. ff. mandati.*

l 52. §. 1. ff. ad l. Aquil.

Spec. Rubr. de diſp. & alleg §. 1. 2. & rubr. de teſte §. de artic. teſt. n. 5.

Facilis autem hujus nodi eſt ſolutio, ſi dixerimus ad JCtos de jure reſponſuros haud pertinere inquiſitionem facti, ut ſcilicet ipſi probent quod res in facto ita proceſſerit, quod hæc vel illa quæ allegatur circumſtantia revera contigerit, utpote de quo ſolicitus eſſe debet is qui facto propoſito congruum jus reſponderi deſiderat. Et *qualem* hic *edit confeſſionem, talem reportat abſolutionem*; cum JCtus qua talis ſuo ſatisfaciat officio ſi jus de facto propoſito conſtitutum reſponderit. Divus Pius referente Marciano *in l. 32. pr. ff. de uſuris* Tullio Balbo reſcripſit; *An mora facta intelligatur, neque conſtitutione ullâ, neque juris auctorum quæſtione decidi poſſe; cum ſit magis* facti, *quàm* juris. Id quod in univerſum de omni facto dicendum eſt. Hinc videmus in reſponſis, deciſionibus, conſiliis ſupponi factum prout hoc cum ſuis circumſtantiis JCto aut JCtorum Collegio fuit exhibitum, & plerumque non *categorice*, ſed *conditionate* ad hypotheſin nempe & propoſitam facti ſpeciem reſponderi; qualem reſpondendi morem Impp. quoque olim tenuere: v. c. *Si, ut proponis, conſentiente creditore cui pignoris jure cum aliis mancipiis obligatus fuiſti, à debitore manumiſſus es, potuiſti ad libertatem pervenire* l. 4 C. de ſerv. pign. dat. Quando tamen JCto unà cum *narratione facti*

Tabor analect. in Barboſ. lib. vi. c. 3. ax 2.

exhibentur *probationum deductiones*, ad officium ejus pertinet æſtimare & conſulenti reſpondere, num allata facti probatio concludens vel ſufficiens ſit, nec ne: Ac in criminalibus maxime de indiciis ad torturam ſufficientibus reſponſa prudentum peti conſueverunt, quâ nullam graviorem deliberationem in Collegiis Juridicis occurrere exiſtimat Brunnem. *Proc. inquiſ. c. 8. m. 5. n. 1.*

Sed ne à propoſito longius divertam, & ut plenius conſtet, quomodo ac quatenus, & quænam qualisve ad JCtum pertineat facti cognitio, ſupponi velim id quod aliàs extra dubitationis aleam poſitum eſt, verum ac naturalem Jurisprudentiæ finem non in nudâ contemplatione juſti ac injuſti poſitum eſſe, ſed in *directione actuum ad juſtitiæ cultum & fugam injuſtitiæ*; id ipſum vel ſolum nomen prudentiæ ſatis innuit, quam habitum activum eſſe omnes confitentur: omnis autem habitus activus *in actionibus* verſatur, & cum prudentia naturâ ſuâ ſit directiva, *Jurisprudentia* fuerit *habitus actionum humanarum ex juris præſcripto directivus.* Hæc directio ſi ex nudo habitu Jurisprudentiæ proficiſcitur, conſiſtit in *declaratione juſti & injuſti*, quod in facto propoſito continetur; ſin verò proficiſcitur ex eodem habitu civili poteſtate & auctoritate armato, conſiſtit in *exercitio juriſdictionis & imperii:* Neutra directionis ſpecies peragi poteſt niſi *jus ad factum applicetur*, atque ita ex juris tanquam *regulæ* ad factum applicatione hujus cum eo *convenientia* aut *diſconvenientia* æſtimetur. Eodem modo in lapidibus & lignis, nec non quibuslibet corporibus rectum ab obliquo, magnum à parvo ſecernimus, *applicando* nempe *regulam* ſeu *menſuram ad corpus regulabile ſeu menſurabile*: Ex artium quoque facultatibus de operis producendi aut producti bonitate ac rectitudine non aliter judicari ſolet, quàm mentis agitatione regulas artis applicando ad producendum aut productum opus. Uti autem

Jurisprudentiæ 1. finis.

2. definitio v. ſupr. c. 2. §. 5.

3. principia objectum.

Quomodo diſſeiant jus & factum.

autem iſtic aliud eſt *menſura* aliud *menſuratum*, & illic differt *regula* artis ab ipſo *opere*; ita & in Jurisprudentiâ aliud eſt *jus*, aliud eſt *factum*: *jus* eſt *ex quo* ſeu ex cujus præſcripto; *factum* autem, *de quo*, ſeu de cujus rectitudine ac meritis *reſpondet JCtus*: Habitus autem applicandi jus ad factum & declarandi hujus merita, quidque *facto* ſic vel aliter *geſto* ulterius *facto opus*, quid in *negotiis peragendis* ut recte & *cautè* gerantur obſervari debeat, ipſa eſt, quam dixi, Jurisprudentia. Unde Cicero ſub perſonâ Antonii *JCtum* verè *nominari eum* dicit, *qui & ad reſpondendum, & ad agendum & ad cavendum peritus eſſet.* Triplex proinde ſcientia eſt quâ JCtus perficitur, ſcientia *juris*, ſcientia *facti*, & ſcientia *applicandi jus ad factum*; atque hæc poſtrema utramque illam includit, illarum verò unaquæque tùm ab alterâ, tùm ab hac remota & ſeparata eſſe poteſt. Sunt videlicet nonnulli *juris* quidem *ſcientiâ* inſtructi, ſed factorum ſeu ſingularium cognitione vacui; atque nuda hæc juris ſcientia videtur conſtituere Jurisprudentiam, ſi ita loqui licet, *theoreticam*. Cicero *II. de Oratore libro* ait: *Si tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris, quamvis acrem & acutum in cogitando, quamvis ad pronunciandum expeditum; ſi erit idem in conſuetudine civitatis, in exemplis, in inſtitutis, in moribus ac voluntatibus ſuorum civium hoſpes, non multum ei loci proderunt illi ex quibus argumenta promuntur.* Hæc eximii Rhetoris verba paucis immutatis ad noſtrum hunc *theoreticum* ita applicare liceat: Si tu mihi quamvis eruditum hominem & juris ſcientiſſimum adduxeris, quamvis acrem & acutum in conciliandis antinomiis, quamvis ad allegandas leges expeditum; ſi erit idem in conſuetudine civitatis, in exemplis, in inſtitutis, in moribus, in ſtilo curiæ, in negotiis ac voluntatibus civium ſuorum hoſpes, non multum ei proderit ſcientia juris; certe ad uſum forenſem, ad cauſas agendas defendendasque, ad jus

1. de Orat.

Triplex ſcientia quâ JCtus perficitur.

Deſcriptio JCti Theoretici.

Deſcriptio JCti empirici. reſpondendum nihil valebit. Alii autem qui nunquam jus civile didicerunt, cum tamen in communi vita & vulgari hominum conſuetudine, in negotiis civium & forenſibus cauſis aſſidue verſentur, variorum *caſuum* ideas, variorum *negotiorum* figuras animo imprimunt memoriæque mandant; hoc *uſu*, hac *experientia* eruditi caſûs ſeu facti, cui aliud *ſimile* aut non multum abſimile *meminerunt*, naturam facile cognoſcunt; quâ perſpecta ſtatim oritur *juris facto congrui* quædam *conjectura*; ſive naturalis quædam prudentia illam progignat, ſive recordatio ejus quod de tali caſu quondam pronunciatum fuiſſe obſervarunt; de quo tamen jure ſi *plenior informatio* deſideretur, vel à peritis vel de libris depromi ea facile poteſt. De hujuſmodi ſcientia loquitur Ulpianus in *l.2.* §. *fin.* ff. quis ordo in bon. poſſ. *Scientiam eam obſervandam eſſe Pomponius ait, non qua cadit in Juriſprudentes, ſed quam quis aut per ſe, aut per alios adſequi potuit, ſcilicet conſulendo prudentiores, ut diligentiorem patremfamilias conſulere dignum ſit.* Ad illam claſſem pertinuêre priſci illi oratores, de quibus Cicero ſub perſona Antonii: *Si jam ſit cauſa aliqua ad nos delata obſcurior; difficile, credo, ſit cum hoc Scævola communicare*? Et paulo ante divinus ille dicendi artifex: *In eo jure*, inquit, *quod ambigitur inter peritiſſimos, non eſt difficile oratori ejus partis quamcunque defendet auctorem aliquem invenire; à quo cum amentatas haſtas acceperit, ipſe eas oratoris lacertis viribusque torquebit.* Quod ſi inter hos mero uſu, & illos nudâ ſcientiâ excultos inſtitui poteſt comparatio odium haud paritura, fatendum eſt hos qui uſu atque experientiâ perſpicaces ſunt, rebus agendis aptiores eſſe, quàm qui nudis theorematibus & legum contemplationibus inſenuerunt, cum nunquam *forum*, nunquam ullum judicium adſpexerint: ſed idem hoc jam multis retro ſeculis Ariſtoteles quoque obſervavit, *VI.Nic.VII.in fin.*

I. de Orat.

Præter.

